

1776 50.
15

COMMENTATIO PHYSICA
DE
PHARMACOPOLIIS RITE
CONSTITVENDIS
QVAM
AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHICI ORDINIS
D XVII APRIL MDCCCLXXVI
DEFENDET
THEODOR. THOM. WEICHARDT
LEOPOLI - POLONVS
PHILOSOPHIAE MAGISTER, ET MEDICINAE
BACCALAVREVS
ADIVVANTE
IOANNE CHRISTIANO WEISS
ALTDORFENS
MEDICINAE CVLT. SOCIET. LATIN. ALTDORF.
SODALIS

LIPSIAE
EX OFFICINA SOMMERI.

152

COMMENTATIO THESES
HARVAGOTENSIS ETI
CONSTITUTANDIS

ALBERTI
MATHIASI
THEODORI
THEODORI THOMAS
MICHAELI



D E
PHARMACOPOLIIS RITE
CONSTITVENDIS

§. I.

Instituti ratio.

Boerhauius, restaurator nostrae Scientiae, qui mira semper pu-
ritate nitet, qui meruit hanc laudem, et meruit sere solus,
quod non visa nusquam effinxerit, quod videnda, nunquam
neglexerit, quod opera Naturae narrauerit, non autem detorserit.
recte, dum studium Hippocratis commendat a), monet. „Quo
Sales? quo fabulae, vbi res agitur maxime seria, atque prae aliis
grauiissima? Absit studio conquisita vocum obsoletarum obscuritas!
absit Rhetorum flores et verborum lenocinia! absit vana et
saepe intempestiuia historiae antiquae ostentatio! aegris placeas,
non eloquentia, sed sanatione.“ Quis Medicorum igitur eum
non imitetur? quis tanti viri non accipiat grato animo consilia,
eaque inprimis tunc, dum res tractantur emolumento vniuersae

inser-

a) In Oratione de commendando studio Hippocratico L. B. 1701, habi-
ta vid. Ej. Opuscula. Hagae Comitis 1734. pag. 4.

A



inferuientes reipublicae. Cum diu animo Dissertationem a me proponendam animo voluarem, incertus primum fui, quid possem, quod argumentum eligerem, quum tale illud semper esse debere crederem, quod et rerum grauitate polleat, neque omnis amoenitatis expers sit. Fateor, de statu Pharmacopoliorum reformando acturus, argumentum ad pertractandum me graue sumisse, meisque viribus maius et superius; cum autem cogitarem animoque perpenderem, illud a meo mihi nunc proposito sine haud alienum, vtileque futurum, arripi occasionem hanc mihi oblatam, maxima cum voluptate, quippe cum in hac re ita versarer, ut non solum sententiam meam de hodierna Pharmacopoliorum conditione ponerem, sed et errores, legesque, in reformatiis obseruandas tradarem. Haud quidem ignoro, introducenda eiusmodi, quam sum propositurus, correctioni multa obvia esse obstacula atque impedimenta, quis vero Medicorum, in ortum ipsius mali penetrans, in applicandis remediis auxilisque non temerarius, in obseruandis effectis non festinans, nullusque in extollendis prosperis iactator, necessitatem huius non perspiciat correctionis, licet impedimentis obrutae, quae tanti momenti, tantique est in republica vsus, ut salus, integritasque vitae fere omnium ciuium inde dependere videatur. Quis igitur eiusmodi mutationes sincero non optet animo? Tanta enim inter retrofculorum et moderni seculi Pharmaciam intercedit differentia, vt antiquae artis Pharmaceuticae rudem, pinguem Mineruam Medico nostri seculi commendans, aut bilem, aut iocum moueam; aut id praemii reportem, ut vel huius artis tyrunculi naribus indulgerent b). Quam curta illius in canis seculis suppellex! quam mendosae et plane empiricae parandi methodi! Quae inutilium farra-

go,

b) Vid. Henr. Adam. Otto Diff. de arte Pharmaceutica Medico admolum necessaria, p. 2.

go, Quae inutilium non modo sed et insalubrium medicamentorum confluges! Sed immortalis ille prioris pharmaciae vultus in nunquam peritum decorem conuersus est. Qua nouorum accessione nunc superbit! — At quanta adhuc in nostris Pharmacopoliis, ab antiquioribus toto fere *cōsōlo* distantibus, adsit errorum copia, is praeципue animo habebit, qui in eorum consideratione paulo accuratius versatur. Quis est, quem fugiat summum detrimentum, quod ex vituperanda negligentia, aut ex reprehendendo et puniendo priuato commodo, aut malitia oriri solet, partim ratione ciuium, partim honoris famaeque Medici. Pudeat omnes Pharmacopoeos, quibus defectus, miseraque nota est conditio, eiusque emendatio a tam multis perperam optata, sine ut omnibus viribus saluti reipublicae prospiciant. Me felicissimum agnoscam, salutaboque, si haec elaboratio, quam vniuersi orbis litterarii examini subiicio, tanti foret valoris, ut perscrutaretur, si que recta, memorabilisque inueniretur, eo impenderetur, ut usui inferiret publico. Absit interim a me omnis iactantia, omnisque in finestris eventibus occultatio. Agam ita omnibus viribus, ut quicquid potero, id omne ad restauranda scientiae felicia fata, fortunataque impendam tempora.

§. 2.

De ambitu Pharmacie.

Priusquam autem rem ipsam aggrediar, quid sub Pharmacia atque Pharmacopoeis intelligatur, cumque quibus versentur rebus ostendam. Pharmacia est ars, (ut minus recte vocatur) quae docet, qua ratione corpora ad hominis sanitatem tum conseruandam, quam restituendam utilia naturalia legitimo tempore colligenda, eligenda, et purificanda atque vel in usum per se conseruanda, vel etiam mediantibus variis auxiliis, medicamina ex iis

A 2

tum

[decorative line]

tum tuta tum iucunda praeparanda et componenda sint. Ne autem in definiendo pharmacopoeo in suspicionem arrogantiae calumniaeque incurram, prodeat Clarissimus Pörnerus, Chemiae et Pharmaciae vir peritissimus, qui ita dicit: Hoc nomen is meretur, qui physica corporum cognitione imbutus, chemicisque dogmatibus edoctus, vires corporum eorum mutationes et actiones in se inuicem dignoscere didicit, et in mutandis et praeparandis corporibus naturalibus operam suam collocat, atque ita apta reddit, ut a Medicis praescripta et ordinata in aegrotantium salutem applicari possint remedia. Quum recentis dotibus paucissimi ornati fuerint Pharmacopoei, neque in scientiis satis exercitatis atque cognitionis necessariae corporum naturalium gnari, non poterat aliter fieri, quin Pharmacia, licet multis inuentis corporibus naturalibus, eorumque praeparandi modis locupletata, a multis tamen neglecta, ignorata, imo impedita fuerit, ita ut systema integrum omnibusque numeris absolutum prodire non potuerit, quinque fere impossibile fuerit ut Pharmacopolia ad eum, qui optatur, deducerentur statim. Clarum est, Pharmaciam circa corpora naturalia ex tribus sic dictis regnis, animali nempe, minerali et vegetabili versari. Diuiditur autem partim in *vulgarem*, quae solum, quomodo id vel illud sit producendum, dicit, et *rationalem*, quae causas subiicit et indicat, cur et quare id fiat, alteriusque esse non possit c); partim in *Galenicam*, quae docet, qua ratione medicamenta simplicia praeparanda sint, v. c. Decocta, Ele-
ctuaria, Syrupi, Clysimata etc. et *Chemicam*, quae praeparationem medicamentorum concentratorum, et in refracta dosi sumendorum, tradit. Regni animalis vastum si percurreris campum, praecipue mediis temporibus, cum supersticio vanaeque opiniones inter plebeios Medicosque regnarent, partim integra animalia partim

c) Hambergeri Elementa. phys. §. 221.

5

tim singulares eorum partes in Pharmacopoliis afferuabantur; cranium humanum, mumia, lac, capilli, vnguis, saliuia, aurium fardes, sudor, menses, vrina, sfercora, sanguis, calculi, lumbri- ci, pediculi, tunica amnion dicta, busones, pulmones vulpis, agni, suis, vrsi, lien bouis, hepar porci, ranarum, tauri, cor gal- leritae, testiculi castoris, equi, cornua alcis, cerui, hirci, rhino- cerotis, lapides cancerorum, carpionum, percarum, mandibuli lu- cii pisces, conchae, entalia, dentalia, mater perlarum, vmbilicus ma- rinus, fel lucii. Minerale regnum non pauciora officinis phar- maceuticis fuggerit simplicia, quae arte chemica praeparata quoti- die nobis bona commodaque offerunt medicamina. Inter terrea occurunt v. g. terrae sigillatae, turcicae, Melitenses, bolus alba et rubra, creta, terra Iaponica, Marga, Ochra, rubrica fabrilis, Tripolis; Huc quoque pertinent Aquarum variae species, putea- les fluiales, pluiales, palustres; acidulae et thermiae, lapides vel praetiosi vt Chrysolithus, Granatus, Hyacinthus, Rubinus, Smaragdus, Saphirus, Iaspis, vel minus, vt aetites, crystallus, lapis lazuli, vnicornu fossile etc. inter metalla, aurum, argentum, ferrum, plumbum, mercurius, antimonium; Salia, sal commune, Gem- mae, nitrum, alum, ammoniacum, vitriolum; arsenicum, sul- phur, naphtha, succinum, petroleum, ambra, etc. Quorum omnium corporum naturalium paucissima hodie in usum trahantur, quum vel inutilia, atque inefficacia, vel superstitione inuen- ta fuerint, neque iis singulares atque specificae virtutes tribui pos- fint d); cum ratione effectus plerumque cum aliis similibus conue-

A 3

niant.

d) De his vid. *Breslauische Sammlung der Natur und Med.* Verf. XVIII, p. 532. Verf. XXXII, p. 362. Com. Lit. Nor. An. 1748, p. 25. 28. 30. 144. 325. Th. Bartholini Cista Med. Pechlinus de purgantibus p. 286. Scaliger exerc. 272. Wedelius amoen. Mat. Med. p. 177. Pharm. Aug. Ren. p. 103. Ioh. Sam. Carl Lapis lydius ad ossium fossili- lum doctrinam. Tenzels Monatliche Unterredung. Mens. April.

Happe-



niunt. Plantae earumque partes maximam in officinis constituant copiae medicamentorum partem, variaeque harum exstant praeparationes vtiles et commoda, quas hic recensere, a fine alienum foret.

§. 3.

De ortu et progressu Pharmaciae.

Nulli dubitamus, ait Cl. Otto, quin si praecipue ad primordia pharmaciae regrediamur, in primis mundi temporibus, quilibet paterfamilias familiae suae fuerit ut princeps, sacerdos, index, mercator, miles, oeconomus, ita et Pharmaceuta et Medicus. Sensus enim auctus, hominique molestus ita eum excruciatbat, ut inter multa sibi obuiam posita auxilia et remedia vagaretur, tandemque vago licet experimento, et euentu haud praeuiso, eligeret auferendis auxilium malis. Sensim vero sensimque præterlapsis aliquot annorum seriebus, atque ex expositione aegrorum in vias et fora, eorumque relations morborum percessorum et remediorum exhibitorum, ac ex suspensis tabellis, inscriptisque morborum historiis et remedii, parietibus donariisque templorum, pharmacia ita formata est, ut primum cognita nonnulla auxilia tantum contineret, dein vero farragine atque copia non solum morborum relationum, sed et auxiliorum et medicamentorum augeretur, singularibusque hominibus variae operationes ad hunc seponum spectantes traderentur, ac hinc apud Graecos et Romanos nomina Pigmentariorum e) μυροπωλης, Φαρμακοπ-

ANS

Happelius Schatzkammer übernaturlicher und wunderbarer Geschichts p. 579. Hartmanni prax. chimiatrica. Wedelii pharmacia in artis formam redacta p. 55. Kirschius de artis pharmaceuticae ad studium Medicum necessitate et utilitate 1746. 4. Schulze Diff. de Munia. Halaee. Ioh. Guil. Pauli de Medicamentis e corpore humano desumis merito negligendis. Lips. 1721. 4.

e) Vnguentorum institoris, qui vnguenta vendebant. Rhod. ad Script. n. 22.

λης, μωρεψες). Seplasiorum f) (*παντοπωλης*), medicamentarium g), vnguentariorum f. vngentariorum h), et confectionariorum, nascerentur i). Tempore *Hippocratis* et *Galeni*, cum Medici magis inquirendis morbis et perscrutandis viribus corporum naturalium, quam praeparandis medicaminibus artificiosis et gratis occupati essent, mere simplicia usurpabant, hinc et eorum notitia, quam inde hauriebant, cum in examinandis viribus corporum naturalium legitimū procedendi modum non obseruant, imperfecta fuit. Accedebat et id quod saepe ad signaturam externam respicerent, atque ex hac, cum eam cum hac vel illa corporis humani parte conuenire viderent, vires corporum naturalium desumerent k). Vegetabilia aliaque cognita remedia eos nullo singulari praeparasse modo patet ex antiquissimorum medicorum scriptis l); quippe cum qui aegris fere vel pulueres vel decocta exhibuerint, et non solum copiosa medicamina, sed et eorum varias praeparationes abhorruerint m). Cum autem Arabes

medi-

f) Seplasarius idem quod Materialista, apud quem Materia Medica prostat, a foro Capuae, Seplasia dicto. Pertinent ad Pharmacopolas, quibus Materia vendunt. Referuntur etiam ad Myropolas. vid. Dierr. Iab. p. 934. Langius in numerum Medicastrorum referre non dubitat. l. 3. ep. 6. Varron. ap. Non. c. 3. Plin. I. 6. c. 10.

g) Plin. I. 19. c. 6. qui medicamenta componebant et Medicis vendebant.

h) qui vnguenta conficiebant, in vsum viventium l. defunctorum.

i) vid. plura. in Thomasii Diss. de iure circa Pharmacopol. ciuit. p. 18. sq.

k) v. Crollii Basilica Chemica. lib. de signaturis rerum.

l) v. Galenus de simpl. Med. facult. Stollens Historie der medicinischen Gelahrtheit p. 753. §. 3.

m) Clerc histoire de la Medicine p. 216. ait: Il ne faut pas oublier de faire ici une reflexion tres importante sur la pharmacie d' Hippocrate, c'est, que les medicaments composés, dont il se servoit, estoient en tres petit nombre, et quil y entroit aussi tres peu de simples.

[decorative border]

medicamenta simplicia ob nimiam molem et quantitatem non com-
mode summi posse obseruarent; ad praeparationes excogitandas,
viresque in corporibus naturalibus dispersas concentrandas acce-
serunt, ut medicamina et efficaciora et commodiora adsummen-
dum segris offerre possint. Quo factum est, ut non solum Che-
mia fundamenta, sed et ob sensim inuentam medicaminum co-
piam, eorumque praeparationem variam, Pharmaciae posuerint.
Neminem esse, qui id neget, non est cur dubitem, cum inuen-
torem primum Chemiae nullus adhuc demonstrauerit et ostende-
rit, atque omnes fere eruditi consentiant, primordia Chemiae et
Pharmaciae ab Arabibus deducenda esse, quippe cum qui primi
in scriptis suis medicaminum chemicorum mentionem fecerint,
atque primum ostenderint, qua ratione virtutes herbarum v. g.
per destillationem contrahi et medicamenta hoc modo praeparata
quoad effectus efficaciora et ad summendum commodiora reddi
possint n). *Freindius* Arabes primarios fuisse asserit, qui vsum
auri et argenti foliati introduxerint. Iisque etiam Sachari inuen-
tionem tribuit, ex quo Syropos confecerunt, (vnde *Joh. Guinth.*
Andernacus medicos nominauit Syripiastros et Zulapistas) quum
antehac eius loco melle vii fuissent; sic enim habet o): les Ara-
bes sont les premiers, qui aient trouvé l'invention de tirer le *Sure*
par coction, et à l'aide de l'celuici de faire les *Sirops*, qui sont
deux ingrediens, d'un tres grand service, pour mesanger les me-
dicinales,

ples, deux ou trois pour l' ordinaire, quatre ou cinq pour le plus.
et rarement d'avantage. et p. 309. Erafistrate ne pouvoit supporter
qu'on melât ensemble les mineraux les plantes et les animaux, les
chooses tirées de la mer, et elles que la terre produit.

n) Stollii hist. erud. med. [p. 265. 767. 769. Vigani medulla Che-
miae p. 75. §. 5. Neucranzens Oratio inaug. de necessitate artis che-
micae.

o) Histoire de la médecine P. II. p. 326.

dicamens composés, et qui se doivent préferer dans beaucoup d'occasions au miel, dont les Grecs étoient obligés de faire un si frequent usage. Eandem sententiam propemodum tuetur le Clerc p., ita tamen ut Arabibus, sachari ex arundinibus excocti, inuentio nem non tribuat, (cuius asserti certiora argumenta Freindio vi que fuissent producenda q), sed ut Sachari usum, ab iis primum in rem medicam introductum fuisse doceat, quem magis dein communem reddiderint, postquam antehac non nisi mellis apparatus instructi fuerint. Hinc etiam primi erant, conficientes iulapia, conservas, electuaria, confectionem alkermes, confectionem eorticum Citri, aliaque. Teste Daniele le Clerc artem desfillatoriam, oleum ouorum, Mercurium sublimatum, et arsenicum sublimatum *Auicennae* debemus. *Mesue* inter Arabes fere primus meminit sublimationis aquarum ablynthii et roscarum. Patet exinde quod Pharmacia, medicamentorum nempta praeparandi methodus cum Medicina semper coniuncta fuerit; cum autem Medici, Chemiam tractantes, interdum ob temporis defectum labores varios famulos et seruos demandarent, hi sequenti tempore sese ab obsequio liberabant et suos hucusque demandatos labores propriis auspiciis et proprio nomine prosequerantur; vti enim reliquae scientiae et artes, vix a Medico antiquioribus temporibus separatae erant, ita et Pharmacia. Cum praeterea Medicos, multos sibi comparare famulos oporteret, quos instruerent atque informarent, alias in rebus botanicis, alias in chemicis, alias anatomicis, alias denique in chirurgicis, ita ut eos etiam data occasione ad aegros mitterent, cumque crescentibus laboribus Medicorum, cresceret quoque numerus famulorum, ut alii fuerint, qui medicamina

p) Histoire de la médecine p. 771.

q) vid. plura in eruditissimo Programmate nostri Illustris Plazii de Scharo. p. 10.

camina praepararent, alii vulnera deligarent, et sic porro; factum est, vt accedente lucro, variis scientiis famuli instructi, directorio medicorum sese subtraherent, et denique etiam nonnulli essent, qui medicamentariae rei quidem inferuiren, integrum Medicinam vero non calerent, nec prosterentur. Tales erant pharmacopolae r) qui non solum frequentabant fora, et, vt emtores alicerent, suarumque mercium fiduciam ipsis facerent, ad ostentationes istiusmodi veniebant, quales in agyrtis s) iam olim observatae sunt, nec raro hodie visuntur, sed et plantas colligebant, et denique magnis impensis officinas pharmaceuticalias exstruebant, de quibus *Plinius* ita dicit, „quod fraudes hominum et ingeniorum capturae officinas inuenient, quibus sua cuique homini venalis promittatur vita.“ Cum interea Chemia, cumque ea coniuncta Pharmacia, in Academiis publice doceretur, cuius primus fuit Professor *Ioannes Hartmannus*, a Landgraffio Mauritio I denominatus, qui ipse fatetur, nouo et per vniuersum orbem terrarum plane recenti exemplo chemiam introductam esse, circa Saeculi XVI initium, Chemia pharmaceuticalia e germinibus effloruit, dum opera *Theophrasti Paracelsi ab Hohenheim* tantam consecuta est auctoritatem, vt ex opinione, *Kirsthii* t) non solum ii qui ei operam dabant, Artista vocarentur, sed etiam medicamina chemico more praeparata talem nanciscerentur approbationem, vt ab hoc tempore Galenica prope interierint, et paucissimorum amore amplius retinuerint u), vt decocta, eleuentaria, syrupi, iu-
lapia

r) *Theophrastus Eresius* hist. plaut. lib. IX. c. IX. c. XVIII.

s) dicebantur hinc, modo ἀγυρταὶ modo ἐχλωγωγοί, quod populum nugis suis ad se alicerent, modo ἐπιδιφεῖοι (sellularii medici, quod in foro mercibus suis assiduebant) modo ἔξοπόμοι. (herbarii)

t) de artis pharmaceuticaliae ad studium medicum necessitate. 1746. p. 5.

u) *Stollii* hist. erud. med. p. 774. §. 13. p. 170. §. 1166. Vateri Inst. Med. p. 8, thes. 24.

lapia deriderentur, quorum loco chemica magis, spiritus, olea, falia introducebantur; ita vt et Conringius x) afferat, a saeculo XVI vti reliquas medicinae partes, ita etiam pharmaciā magnam passam esse mutationem; prodierunt enim maximi in Chemia viri Tachenius, Glauberus, Zwölferus, Schröterus, Charas, Borrichius, Boyle, Sylvius, Lemery, Rolfinckius, Michaelis, Ludouici, Hoffmannus, Teichmeyerus, Becherus, Rothe, Wedelius, Börhause, Stahlius, Neumannus, reliquos vt taceam, qui tantam nacti sunt auctoritatem, et vniuersi orbis admirationem, vt eorum conaminibus ita augeretur Chemia, vt mox fere ad summum perfectionis ascensisset fastigium. Formulis medicorum in unum volumen collectis, non solum illa sic dicta Dispensatoria, quae false Helmontius y) perstringit, quorumque primus Valerius Cordus fuisse dicitur autor, conscripto libro formularum in usum pharmacopoliī reipublicae Noribergensis, enascabantur, sed et crescente numero pharmacopoeorum, tabernae pharmaceuticae sub inspectione et auctoritate magistratus atque medici ad hoc officium rite denominati, qui inuigilet, quo medicamina rite parentur, cuique pro suo labore ex aerario publico honorarium concedebatur, exfruebantur, et arte peritis Pharmacopoeis, famulis et seruis adornebantur. Quo quoque factum est, vt, cum tabernae atque officinae magnos exigenter sumunt, a magistratu varia distribuerentur priuilegia; ita vt certus atque definitus solum Pharmacopoliōrum numerus constitueretur. In distributione istiusmodi Priuilegiōrum autem id potissimum a magistratu quoconque mihi obseruan- dum esse videtur, vt Pharmacopolia iis ornata, seruentur atque defendantur, ne iis ex distributione plurium, atque concessa aliis licentia, damnum quoddam accedat, quod alias euitari haud qui-

B 2

dem

x) Introdūct. in vniū. Med. c. II. §. II. p. 374.

y) Tract. de febribus c. 15. §. 9.

dem potest. Ut ilia vero imo necessaria priuilegia esse, nullum esse, qui dubitet, existimo, quum id ex eorum defectu sat clare pateat, qui in multis celeberrimis vrribus e. g. Hamburgi inuenitur, cuius incolae pharmaceutici priuilegiis destituti, multos confratres subinde exsurgere, vnumque alteri victum praeripere, quotidie vident. Licet enim certum sit, negarique non possit, quodque Celeb: Pörnerus ipse afferit, nunquam viri vniuersi vires ad hanc rem perficiendam et pharmacopolium omnibus legibus absolutum administrandum sufficere, inueniuntur tamen Pharmacopoei, qui lucri, diuitiarumque solum cupidi, neque scientiarum suarum gnari, sibi plures procurant tabernas, ut copiam administratorum, ad vitam suam commode laeteque sustendandam, inde acquirant. Hinc non mirum, quod Illustris Plaz, Facultat. nostrae Decanus, officinas pharmaceuticas inter remouenda sanitatis publicae numerauerit impedimenta.

§. 4.

De constitutis pharmacopoliis ratione situs et regionis.

Ne vero a fine proposito valde discedere videar, accedam iam ad constitutionem ipsam pharmacopolorum, ita ut non solum errores frequentes, et impedimenta augmento Pharmaciae obuiam posita, sed et consilia, ad ea remouenda, sim proposturus. Nulla vero ratione eius opinionis accusari possum, ac si, omnia Pharmacopolia ita corrupta, erroribusque conspurcata esse, vt nil, nisi ut remouerentur, esset necesse, statuere vellem; id tantum volo, quodque omnes nostri Pharmacopoei mecum maximo cum applausu atque grauitate fatentur, nil nempe ab omni parte esse beatum, nostraque pharmacopolia pleraque ita constituta, ut quam maxima indigeant correctione, quod ex sequentibus clarius patebit. Non dubito enim, quin non solum Pharmacopoei salutaria, utilia, atque remouendos errores apta et commoda consilia, sed et Magistratus,

tus, in hac dissertatione inueniant, vt sciant quis sit bonus religiosusque pharmaceuta. Videamus autem primum quomodo pharmacoplia ratione situs et regionis esse debeant constituta. Facile quisque primo intuitu totam rem considerans, perspicet p[re]requisitus officinam pharmaceuticam ab urbe remotissimam, longeque disiunctam esse non debere, quippe cum saepe multis aegris, remedia suspirantibus, auxilium denegaretur celerrimum, et non solum medicis, sed et pharmacopeis magnum inde accederet damnum. Si vna officina in urbe inuenitur, proprie, et secundum omnes ordinis leges, in medio fere ciuitatis posita esse debet, si vero plures, caudendum est ne vnu pharmacopoeus alteri victimum praeripiatur, quod facile quidem nostris temporibus, cum illis hystrionum gestibus, allocutionibus laudibusque suorum medicamentorum, quibus populum ad se olim aliciebant, fieri aperte non solet, attamen, dum vnu alterum antecellerere vult, etiam cum forma externa pulcre adornata pharmacopoli fieri possit, cum populus illud, quod splendet, nitetque plerumque adeat, aliud vero spernat. Attentus ad animorum humanorum mutations, et hic inueniet, quod miretur, visa enim magna frequentia hominum in aliorum officinis, alter mox detestanda, neque euitanda, quae odium comitem habet, capitur inuidia. Cui vt praecaueatur et commoditat[i] aegrorum et medicorum prospiciatur, disiungantur a se iniucem plures si in uno loco inueniuntur officinae, ita tamen, vt si fieri potest, sique conditio ciuitatis concedit, ponantur in lata, populosaque platea, vt sua auxilia, ubi quaerenda sint, quisque non solum non ignoret, sed et vt ab eiusmodi officinis omne ex angustia loci metuendum arceatur damnum; cum multa vegetabilia non nisi in sicissimo loco afferuari possint, et nullibi fere facilior simplicium et compescitorum detur corruptio, quam in pallidosa et humida regione, quae quotidie innumeras aquas, easque saepe foetidas emititt in aerem, officinam ambientem, particulas, corporibusque ibi afferuatis applicat. Porro,

14

officina ipsa per totum diem solis aestui exposita esse, aut meridiem spectare non debet, ne vehementissimo concitato calore, varia medicamina, vt syrapi, iulapia, electuaria, conseruae, aliaque fermentent, vnguenta, emplastra, extracta, massae pillularum, imo pilulae ipsae paratae liquefiant, semina eorumque olea expressa rancefcant, particulae odoriferae, volatiles, oleorum de- stillatorum, reliquorumque corporum aromaticorum euaporent et auolent, atque sic suas amittant vires. Neque vicinitas multorum opificiorum, praecipue eorum, qui cum foetidis, sordidis que artibus versantur, concedenda est, cum fieri possit, vt medicamina varia iniuncundum, induant odorem, a quo abhorrent aegri; nunc enim sulphure z), arsenicali praeprimis, impregnatae terrae, cuiusmodi est auripigmentum et cobaltum, ignis vi sunt subigendae, nunc bouino sanguine quaedam miscendae, nunc calcinandae, igne aperto comburente, oleo aut vernice coquendae, nunc acidis spiritibus iungendae. Remotiore igitur ab urbe, si huiusmodi officinas posueris loco, omnem ex voto, atque absque ullo incommodo impetrabis finem, quodque ab exhalationibus impurioribus extimescendum erat periculum, felicissimo auertes negotio. Multo minus greges animalium praecipue porcorum alendae sunt circa officinas, cum teterimus ex horum animalium stabulis expirans, atque per omnem viciniam diffusus foetor, aëris et puritati inimicus et adhahitantium naribus et pulmonibus infensissimus, luculentissimo sit testimonio, quanto sit melius, animalia haec ruricolarum caulis relinquere, quam pestifero eorum foetore, iam tum parum semper purum aedium virbarum aërem, magis inquinare, quam iis, quibus haec placenthalitationes, ipsas haud inuideamus.

§. 5.

z) Vid. Ill. Ant. Guil. Plaz. Diff. de Sanitatis publicae obstatulis. Lips.
1753. §. IV.

a) Eiusd. Diff. De remouendis sanitatis publicae impedimentis. Lips.
1771. 4. §. X.

§. 5.

De conseruenda pharmacopoliis ratione internae constitutionis et formae.

Quum, dum rem possidemus, plerumque securitati prospiciamus, non absconum mihi esse videtur, si pharmacopoeos eo deducendos esse suadeam, vt officina sit concamerata, satis clara, spacioseque. Melius adhuc ei consulitur, si pura, sicca seruatur, altaque et fenestris instrueta, quae partim plateam, partim internam domum spectant, exstruitur. Ut in Laboratorio, clarissima illa, quamvis saepissime impura officina, in qua omnia medicamina, siue fuerint chemica, siue pharmaceutica in magna copia, et tempestiuo ordine praeparantur, vt omnia recte possint administrari, necesse est, vt radiis lucis aditus ad illud pateat, vt praecipue salia, euaporanda et crystallisanda rite diiudicari possint. Puritas et laboratorii ipsius et vasorum, quam maxime seruanda est ne remedia a particulis heterogeneis inquinentur. Siccitas autem eam ob causam necessaria videtur, quum salia et pulueres, attrahendo humiditatem facilimur corrupti sciamus; altitudo vero, vt euaporanda eo melius inspissentur. Periculo in fuscipendi variis laboribus chemicis, detonatione, destillatione spirituum acidiorum mineralium, et spirituum vegetabilium, in coctione vnguentorum, emplastrorum et oleorum, metuendo prospiciatur concameratione, exstruendisque furmariis, et caminis aptis, ne fumus laborantis oculos infestet, vtque a particulis sulphureis tam in detonatione, quam in destillatione spirituum mineralium et euaporatione multarum rerum, timendi multi morbi imo mors ipsa praeceatur. Pavimentum sit obliquum, vt aqua ex refrigeratoriis egrediens eo melius possit remoueri. Promtuarium, in quo omnia et simplicia et composita in maiori asseruantur copia, quam in officina pharmaceutica esse possunt in promptu, ita ordinetur, ne medicamenta a nimio solis aestu, vel corruptantur, vel euaporentur, ne omnia spirituosa et volatilia, vel effervescant vel fermentent. Remedia ipsa quod attinet, ea quae vilioris videntur esse

esse indolis reiiciantur, nunquamque introducantur; mures glis-
resque autem aditu praecipue prohibeantur, ne suis impuritatibus
inquinent medicamina. Cella pharmaceutica, in qua multa cor-
pora contra vim frigoris et aestus defenduntur, non solum sit am-
pla, sicca, alta, perflabilis, concamerata, sed et, ne potentia fri-
goris adeo facile ingrediatur, indeque vasa frangantur, profunda.
Tabulatum herbarum, vbi omnes, flores, herbae, cortices
ficcantur, ita debet esse positum, vt et magnum contineat spa-
tium, et perflabile et condensum sit, ne ex pluiae, vel nivis sae-
pe introgrediente copia herbis aliqua accedat noxa. Vbi radiis so-
laribus aditus patet, nullae ibi dispersantur herbae, sed in loco
vmbroso temperatoque, quum frequens sit, vt eae non solum co-
lore, sed et odore priuentur.

§. 6.

*De constituendis pharmacopolis ratione vasorum, instrumentorum,
suppelletilium.*

Fornax ad calefaciendum hiberno tempore destinata, tali mo-
do sit constructa, vt in necessario cafu essentiae, infusa aliqua in ea
digeri possint. Vasa, quae remedia vulgatoria continent, sem-
per iisdem seruentur plena, ne aegri, ad ea ex promtuariis prius
implenda, diu retineantur, aque celerrimo saepe necessario absti-
neantur auxilio. Ut vero, vbi quaerendum hoc vel illud sit me-
dicamen, sciat Pharmacopola, debito ordine, plerumque littera-
rum, posita sint, ordinenturque. Quum vero vasa vtilitati et con-
seruationi medicaminum accommodata esse debeant, a ratione
alienum foret, si e. g. in pyxidibus ligneis salia, extracta, pilullas,
massas pilularum, vel vnguenta et syrups in argillaceis sigulinis
vasis, vel male incrustatis asseruare, si que spiritus acidos epifomiis
suberinis obturare, vel vnguenta acidum continentia in vasis stanneis
cufodire, et in mortario cupreo e. g. vnguentum de lithargyrio
miscere velles. Vitra igitur, ne spirituosa et volatilia auolent
corrum-

corrumptanturque, bene obturentur epistomiis; fragrantia vero remedia, grata, siue foetida fuerint, separatim custodiantur, ne alia medicamina, quae in horum vicinitate afferuantur, peregrino penetrrentur odore. e. g. Gummi asphaltum, asa foetida, camphora, radix valerianae, serpentariae virginianae, Molchus, Ambra, similiaque. Instrumenta, quae ad laboratorium pertinent, laboribus ipsis sint adaequata et purissima. Omnia vase cuprea, ahena, vesicae cum alembico, stanno optimo obducenda sunt, cum plumbeum ab acidis vegetabilibus et aliis facillime arrodi possit; quam ob causam acetum vini, vel cereuifiae nunquam per vesicam cupream destillandum est, sed potius ex retorta vitrea. Porro attendendum est, ne vesicae peregrino repletae sint odore, ne e. g. Aqua roscarum, paulo ante destillata aqua menthae, ex eodem mox destilletur vase. Si aquae fragrantes, quae multis partibus oleosis abundant, destillantur, e. g. Aqua menthae, foeniculi, anisi, sollicite oleum separetur, ne ex infirmitate et ignorantia pro particulis habeatur heterogeneis, aut nimium, si non auferatur, caloris gradum in corpore aegri, contra voluntatem medici, excitet. Aqua fontana sit semper in laboratoriis propinquitate ad vesicas destillatorias refrigerandas. Furni in laboratorio varii pro varietate laborum adsint, et eo modo exstructi, ut oeconomia carbonum optime obseruetur, et gradus ignis pro artificis lubitu modo augeri, modo imminui possit — Ratio et experientia suadent instrumenta furnos, et balnea promiscue non esse adhibenda, ob varios ignis gradus. — Vase maiora, in quibus magna copia. e. g. aquarum destillatarum continetur, in inferiori parte prope radicem vasei, epistomia seu obturamenta habeant, ne, dum vitra implentur, quae in officinam pertinent, opus sit, vt loco moueantur, quoniam dum agitantur, aquae saepe turbulentae fiunt, praecipue si cum magno caloris gradu destillatae, vel saepe, repetitis que vicibus cohobatae fuerint.

§. 7.

De constitutis pharmacopoliis ratione medicamentorum.

Incredibilis numerus remediorum in officinis pharmaceuticis prostantium, iure meritoque ad duodecimam vel vicefimam comode reduci potest partem, dummodo Medici velint; medicorum enim est monere magistratum, magistratus vero monita haec iuare atque communibus legibus, consiliisque, ipsis pondus addere, imo, si opus fuerit, rigore vti. Adeo enim posterioribus iam temporibus increvit medicamentorum numerus, vt non est cur miremur, quod et *Ludouici* b), vir ille chemiae atque pharmaciae peritisimus, de eorum numero, et de fame exoticorum simplicium conqueratur, dicens: Cui bono tot exotica, quorum aequipollentia, ni saepe validiora passim nobis prae foris nascuntur, viribus integris, facilique praetio vbius habenda. Qualem usum habere possunt tot geminae, lapidesque? Nil habent Specifici. Quale discrimen est inter tot tantaque magisteria. — Quis aequo animo videre valet in officinis pharmaceuticis tot remedia, quae neutquam effectu, eti nomine, colore, odore, aut sapore interdum differant? Inter syrum ab synthii, cardui benedicti, fumariae, scordii, fere nullam inuenio differentiam. Idem valet de extracto ab synthii, cardui benedicti, Centaurii minoris, enulae, fumariae, gentianae, scabiosae, scordii, de aquis destillatis simplicibus et compositis, de spiritibus, essentiis, tinturis, elixiriis, conseruis, oleis destillatis et coctis. Quis est igitur qui Pharmaciam non abhorreat? studium eius est sumptuosissimum, et non nisi magno cum labore et magnis impensis, omniam copiam, fastuositatemque notitiae impetrari potest. At adeo adhuc nonnulli Medicorum vastum apparatus infinitarum specierum amare videntur, vt nisi is in officinis exstaret, eam abhorrent, et euitarent. Hinc recte asserit *Luduigius* c) dum ait:

Nimia

b) in *Pharmacia moderno seculo accommodata*. Diff. 3.c) *Institut. Med. forens.* §. 67.

Nimia est Medicamentorum et simplicium et praeparatorum compostorum copia, quorum vera et genuina indoles in officinis pharmaceutarum vix conseruari potest, ideoque post seriam a collegio medico factam perlufrationem auctoritate publica minuenda videtur. Nam ars medendi dummodo vere methodo cognoscendae atque persequendae invigilet, paucis numero, neque forte magno labore parandis remedium contenta esse potest d.). Naturae placuerat, esse remedia vulgo parata, inuentu facilia, ac sine dispendio, ex quibus vivuntur. Arabia atque India in medicamento aestimantur, ulcerique paruo medicina e rubro mari imputatur, cum remedia vera pauperimus quisque coenet. Similis est constitutio eorum medicamentorum compositorum vastrorum, quorum ingredientia simplicia ridiculaque, saepissime contrarios producunt effectus. *Helmontius* igitur, in pharmacoplio et dispensatorio moderno monet: Citra elixationem sola contusione et puluerisatione connectuntur ex multis simplicibus ridicula, nescienter et incogitanter, quae sibi inuicem plerumque aduersantur, imo nocent, impediuntur, quo ne mutuam iungant, quam nobis debent, operam; idque eo magis, cum sub ista multitudine multa supposita, opposita, frustanea, pleraque caeterum ponderosa, impertinentia, inepta, impropria, ideoque languida, effoeta, mala, inueniantur. Quis non miretur illam compositionem et mixtionem Theriacae, quinquaginta ingredientibus compositae, cum viginti, caeteris omnibus superfluis, sufficerent e). Reliqua ut taceam. *Plinius* f) qui plus vna vice Pharmacopoeos deridet, Theriacam vocat excoxitatam luxuriae compositionem. Hinc in medicamentis praescribindis illi

C 2

inter

p) plura inueniuntur in *Stabili* Program. de priuata remediorum dispensatione.

e) *Frid. Hoffmanni Medicus politicus*. p. 40.

f) Lib. XXIX. C. I.



inter alios non leuiter errare videntur, qui vt adstantium admirationem sibi parent, vel pharmacopolas ad laudandum institutum allicant, recepta, vt appellant, centenis farciunt ingredientibus, quae sane, si paucioribus, duobus, vel tribus simplicibus constarent, salubrius forsan praestarent remedium. At non mirum, verebantur, ne forte sterilia viderentur instituta sua, nisi semper introduxerint radices, ligna, folia, flores, seminaque, eaque omnia, diuersorum generum, quorum saepe exiguum cognitionem vel formae, vel facultatuin habebant. Ipsi enim factuosi medici et compositores, vastarum compositionum rationem reddere nequeunt; vt taceam, quod saepius nonnulla simplicia per miscelam cum aliis, mutantur, imo noxia euadant. Certissimum quidem est, quod varia adsint medicamina, quae vt simplicia veneni nomen potius merentur, nisi ante commixtione cum aliis corporibus et praeparatione chymica, in apta et commoda mutarentur remedia, tamen nonsolum ea, quae speciem quidem medicamenti prae se ferre videntur, dum vero accuratius perpenduntur, nomen illud nequaquam merentur, releganda, sed et omnium componendorum medicamentorum praeparatio certis circumscribenda est legibus. Quicquid g.) 1) primum ad curam hominum a Medicis non adhibetur, ad officinam nullatenus pertinet. Nonne infra dignitatem est Pharmacopoei, brutis destinata pharmaca, vt aloë caballinam, Vnguentum ad vngulas equorum, puluerem pro porcis etc. praeparare, asseruare, diuendere. Quid dicam de venenis, arsenico albo, flavo, rubro, auripigmento, Cobalto? Vtantur iüs, qui glires, mures, muscasque necato

re vo-

g.) Cum Celeb. *Riuinus* optimam quondam suscepit Medicamentorum officinalium censuram, non abs re mihi esse videbatur, si ea quae ille ample dixit, breuiter proponerem; cum praeterea olim tanti viri labor dignissimus, tantum acceperit applausum, vt nunc dissertatio *Riuiniana* in paucorum manibus adesse possit.

re volunt, a Medico vero prudenti et conscientioso absint h). Ecquid porro Pigmenta sibi volunt? Cerussa citrina, Minium, Plumbago, Cadmia ferrei coloris, coeruleum indicum, Lacca florentina, succus ceruispinae. Quis est qui Cosmeticis in curandis morbis vtatur? qualia sunt panniculi bombycini rubro colore imbuti, ad tingendas genas et labia, Talcum ad conciliandum cuti nitorem, Sapo odoratus cum spongia marina, balneatoribus ad abstergendas vtilior fordes. Idem de Odoramentis in genere iudicium esto; pomo ambiae, bacculis fumalibus, candelis pro fumo etc. Num quis medicorum ex officina puluerem petit Cyprium? quem barbitonfores et qui capillo crispano vnice operam dant, gratis fere dispergunt. Quem vero in finem Sacharata in tanta seruentur copia, ignoro; nominantur octo ipsius Sachari species. Sed fortassis vnum instar omnium esse poterit. Nec deest Confectionum, rad. e. g. acori: amygdalarum, anisi etc. candisatorum, rotularum, morsulorumque series. Est et Chocolada in promtu. Cum haec solum puerorum gratia fere afferuentur, et adulti inuenient, palato grata, appetituique excitando idonea; qualia sunt Cappones in aceto vel cum sale, Citri flores in aceto, limones, et oliuae cum sale etc. cur non adiiciunt Cucumeres acidos cum halece, cum pharmacopoei in oppidulis et chartas luforias, et Tabacum venundent. Praeter haec occurruunt plura quae ad usus domesticos, mechanicosque magis, quam formulas remediorum quadrant, vt cera varia, pix naualis, punex, alumen scissile, gypsum, calx viua etc. 2) Si afflito afflictio non addenda est, pessime agunt omnino qui vt open ferant ægris, fordida et nauseosa propinant; cum ab his natura abhorreat. Minus prudens doctusue iudicabitur quoque medicus si loco nauseoforum, mumiae, pinguedinis humanae, medullae

C 3

offi-

h) conf. Georg Ernst Stablii Obs. chym. phys. med. Curiosarum. Menssem Vtum.



ossum, secundinae primiparae, spiritus cerebri humani, sanguinis
 vrinae, olei, vel gelatinae crani humani, serpentum, pel-
 licularum ventriculi gallinarum, lupi hepatis, hirci ceruique vel
 asini sanguinis, coaguli leporis, pinguedius canis, testiculorum,
 priaporum cerui, Ceti, tauri, vulpis, stercoris canis, pauonum,
 nidi hirundinis, etc. substituere alia longe gratiora, nesciat. An-
 non alia in promptu sunt, quae vicem iam enarratorum supplere
 valeant? Quid opus est dilaniari hominem, brutaque, assari et
 concoqui? Canibus coruisque inuidendam eripiunt praedam et
 a lanionibus, venatoribus ac carnificibus redimunt indigno pae-
 trio. Pudeat eos, qui in eiusmodi quisquiliis specificas latitare
 putant virtutes. 3) Quanquam et ignobilioribus et abieciis fae-
 pe bona tribuatur virtus, tamen et inter haec debita instituatur
 electio. Ratione praetii spernantur *viliora*, quibus vel nullum,
 vel exiguum tribui potest praetium, qualia inueniuntur, vngulae
 equi, asini, cornua pili, hirci, pennae perdicis, medulla vituli,
 apri, porci, gallinae etc. Ratione virtutis respuimus merito *ex-oleta*,
 quae siccata nullius sunt praetii, ut radix armoraciae vel ra-
 phani rusticani, rad. et herba ranunculi, cochlearia, nasturtium,
corruptibilia, quae breui temporis spatio rancorem contrahunt,
 qualia sunt omnia pinguis, vel quae facillime vermiculantur, ut
 ficus, daethyli, ceratonia etc. vel quae facillime putrescent, ut
 aurantiorum, Citri, limonum, granatorum poma, eorumque suc-
 ci. Cur tolerantur *virulenta* et manifeste nobis insensa, ut lapis
 lazuli, semina ricini, nux vomica, anacardium etc. Ratione *vsus*
 minus consultum esse videtur officinas onerare inusitatis atque su-
 perfluis. Annus labitur, priusquam quis ex officinis appetat ra-
 dices allii et porri, agrimoniae, cyclaminis, hyosciami, Verbena, et
 aut lignum aspalati. Cortices berberum, Herbas ononis, bistor-
 tae, Cardiacae, Geranii maluatici, Melampyri, Vulvariae, fru-
 etus halicacubi, laureolae, Semina Cerefolii, nicotianae, sanguin-
 nariae

nariae etc. Cui bono cineres apum, ciconiae etc? Num quis vtitur integris mandibulis lucii piscis, matre perlarum, nihili, myrrha communi, amygdalis ambrosinis? (quae parem cum dulcibus possident virtutem) 4) Quaecunque medicamenta intuta sunt et deceptoria, ea tolerari etiam salua conscientia nequeunt. Exotica in eo infeliora sunt, quod facilius praeceteris dubia reddi queant. Sed et notis diu, falsa atque illegitima saepè substituuntur. Vulgarissimum est vice calami aromatici dari radicem Acori; pro Thereibinthina, lacrymas abietis laricis, pro succo Acaciae, succum prunolorum aggregatum. Praeterea naturalia per artem immitaturi praeparant miscentque dolose, vt veri speciem habeant. Nomen boli armenae imponitur Württenbergicae, Numburgensi etc. Nihilo meliora sunt adulterata, quando simplicia per comixtionem cum aliis augent in pondere, vt maius inde lucrum, capiant. Sacharum amyllumque additur Mannae Calabrinae, afae foetidae sagapenum, Mercurio viuo plumbum stannumue etc. i) Praetii vero maioris medicamina defraudantur, ita vt e. g. ex Caryophyllis vel Cinnamomo extrahatur oleum, et fatui deincortices cum bonis commisceantur. Quid vero de iis dicam, quae saepe falsa et erronea in officinis extant. Raro genuinus Lapis Bezoar apud nos inuenitur k). Lapidès cancerorum saepe ex argilla vista praeparantur. Loco margaritarum praeparatarum, mater perlarum asservatur. 5) Quaecunque remedia sapiunt vanitatem, superflitionemque, ea nullum decent. Quenam enim virtus specifica in auro foliato, in gemmis, Margaritis, inuenitur? An ne Boletu ceruino et radicibus Orchidis, cum testiculorum referant figuram, vis ad Venerem stimulans tribui potest? Aetites de col-

lo su-

i) vid. Sylui Tr. de adulteriis simplicium medic. cognos. it. Lisetti Bonantii declarationem fraudum apud Pharmacop. comiss. it. Ioh. Ant. Lodetti Dialogum de imposturis nonnullorum Pharmacopoeorum.

k) Caspar Reies Elys. iuc. quaest. camp. quaest. 67. 24.



lo suspensus praeseruare grauidos ab abortu dicitur, foemori alligatus promouere partum. Quamdu eius modi superstitione, vel oscitanter admittimus, vel aprobamus temere, risui eruditorum nos ipsos exponimus — De compositis, vel male praeparatis, vel mixtis nil dicam, quum eum Medici titulo indignum fere censem, qui non quotiescumque velit, extempore meliora et ad aegrorum quorumcunque statum magis accommodata praescribere valeat. Parum enim plerumque in multis compositionibus ineſt artificiū vel iudicij 1). Si vero compositiones nonnunquam in casu necessitatis celerisque auxiliū concesserim esse utiles, praefribantur eae Pharmacopoeis in sic dictis Dispensatoriis, secundum exemplum regis Borussiae, in cuius prouinciis quilibet Pharmacopoeorum sub poena viginti imperialium obſtrictus est, Dispensatorium Brandenburgicum emere et ad eam normam, quam praefribit laborare, vt medici feiant, quid et quomodo paratum fit, vtque in remedii praeparandis semper idem obſeruetur modus, quum multi aegri, si medicamen mox secundum hoc, mox illud dispensatorium praeparatum videant, ignorantes mutationis caufam de genuina eorum parandi methodo dubitent, eorumque applicacionem recufent.

§. 8.

Continuatio eiusdem argumenti.

Ne vero inter se, dum siccantur herbae, confundantur, nomina sub illis semper ponantur, quia interdum siccatae difficultime cognoscuntur et distinguuntur. Exemplum habet *Sicelius*, praticus Nordhusanus, in quo ex negligentia discipuli factum est, vt cum verno tempore radices et herbas aliquo modo concitas, vt moris est, et mundatas in tabulatum, quod est in summo fastigio teclis,

1) vid. Bohnii Tr. de officio Medici dupli clinici nimirum ac forensis Lips. 1704 p. 441-457.

fecti, ad exsiccandum apportaret, magnus ortus fuerit error. Ille enim, non ut decet, vel ex ignavia, vel ex nimia confidentia in se suamque memoriam, singulis collectis nomen adscripsit; vnde factum est, vt radix belladonnae cum radice Cichorei, forsan adiacente fuerit permixta, vel prior pro posteriori habita, et uno eodemque receptaculo deinceps asseruata. Minima quantitas huius radicis inter species mixta tristissimos producebat effectus; facies enim pallebat, ebriorum adinstar, salvia incrassata in faucibus et lingua haerebat, somnolentia, nausea, vomituritiones, vrinae excretio impedita, aliaque mala oriebantur symptomata. Monendi igitur sunt pharmacopoei, omnesque illi, quibus cura officinae tradita est, ne, et si leue videatur opus, radicum et herbarum collectio, et asseruatio, solis discipulis, interdum satis rudibus et negligenter illud committant, sed ut ipsi interdum tabulata, visitent, et iubeant, vt discipuli singulis etiam notissimis herbis dispersis, sua adscribant nomina. — Praecipue autem venenorum habenda est ratio, vt cautissime obseruantur, neque omnium sint exposita manibus, vt arsenicum, cobaltum, auripigmentum etc. ne errores vel ex imprudentia, vel animo consilioque doloso sint metuendi; hinc quoque venenosa pharmaca in separatis asseruentur serinii, opeque peculiarium flaterarum, ponderum, excipulorum tractentur, ne reliqua medicamina contaminentur m). Quantum enim eiusmodi errores ad decrementum pharmacopoliorum, eorumque minuendam famam contribuere valeant, facile quisque perspiciet, cum et error, sine culpa Pharmacopoei, a medico commisus, famae pharmacopoli noceat, v. g. si medicus ignorat amygdalas amaras in nonnullis, praecipue tenerioribus, vomitum

m) conf. Ioh. David Gundelach Diff. sub praesidio D. Henr. Frid. Delii habitam de primis lineis chemiae forensis. Erlangae 1771. p. 20.

¶

tum excitare, et emulsionem ex iudicem praescribit, cuius assumptionem vomitus sequitur, culpa in Pharmacopoeum cadit, quod eam non in aptis, vel conspurcatis praeparauerit vasis. — Pari cautela opus est, ne vel simplicia, vel composita corrupta salubribus et integris misceantur, quum facile accidat, ut exoptatus effectus in aegris non eueniatur, si e. g. castoreum, crocus, paratis iam ex iis ipsis essentis vel extractis exsiccantur, cumque recentibus commiscentur; porro ne fraudulenter fallaces et fucosae merces probis et vendibilibus supponantur, quod saepe detestandi puniendique lucri cauila sit, ut sacharum Thomasae loco mannae, sanguis hirci loco moschi, pulpa prunorum loco tamarindorum, puluis radicis gentianae loco corticis chiae, oxycharum loco Syrupi acetosifatis Citri; aut ne ad extractum corticis chiae in maiori, quam par est, copia acquirendum, aqua calcis adhibetur, quod artificium in quodam Pharmacopolio frequens esse, non ignoro. Notum etiam est, Pharmacopoeos saepe succedanea, absque medici consenu subiicere, dum ea pari virtute ornata esse credunt, praefertim si ex praescriptis una vel altera deficit species; hinc *Fridericus Hofmannus* n), cum Pharmacopoeos paucissimos propriis manibus medicamina praeparare viderit, suadet, ut ministri omnino iureiurando obstringantur, vel ut medici confectionibus officinalibus ipsi intersint, probeque examinent ingredientia, quippe cum saepius quidem omnia ostententur, absente vero Medico praetiosiora auferantur, vilioraque substituantur, quod vero legibus publicis pharmacopoeis interdicendum quam maxime est, quum hoc ultra sphera et peritiam eorum sit, quumque ignari sint medicinae, perinde ac medicastris omnes. — Ad errores vero plurimos arcendos, opus est, ut praecipue falsa nomina, quae cumulatim in officinis reperiuntur, extinguantur,

quum

n) Medicus Politicus, p. 46.

quum discipuli saepe in erroneam deducantur opinionem. e. g.
 Oleum vitrioli, oleum Tartari per deliquium, butyrum antimonii,
 vnguentum Aegyptiacum, succus liquiritiae, Mercurius vitae, Terra
 Catechu etc. quorum loco adaequata essent introducenda no-
 mina. Vix enim vllibi in Germania aut Anglia aut alibi inuenies
 officinas, vbi flores rorismarini non essent inscripti flores *ωδος o*);
 nonnulli quidem per excellentiam ita *ωδος*, putant p) dictos esse
 flores rorismarini, at *Riuinus q*) ab imperitia Pharmacopoeorum,
 titulum hunc profectum iure censet. Semina viticis insigniuntur
 nomine agni casti (Schaffsmilbe, seu Keuschlamm) ex ignoran-
 tia linguae latinae et graecae; dicebatur autem iste frutex *cystus*,
 quia Galeno auctore iis castitatem conferuare credebatur, a qui-
 bus folia comedenterunt, aut quia *Dioscoride* et *Plinio* referentibus,
 matronae Atheniensium in Thesmophoriis Cereriis castitatem cu-
 stodientes, foliis viticis cubitus sternere solebant; longe vero re-
 stius dicitur hodie botanicis vitex, a vinciendo, ob inuictam
 virgarum flexibilitatem. Asara bochara aut baccara, asarum de-
 notans pluribus adhuc in Hispania et Anglia adhaeret r). Milium
 solis seu lithospermum, non milium solis, sed soler dici debuit-
 fet a monte Soler, in quo illud colligere solebant Arabes s). —
 Omnis dein vt confusio praecaueatur, vnum singulareque eligen-
 dum est pondus, siue medicinale, siue ciuile. — Medicamenta
 noua, si corruptioni facile subiecta inueniuntur, non in magna co-
 pia sunt dispensanda. — Sub formulis, a medico prae scriptis
 praeparandis, nomina ponantur aegri, et simulac medicamentum

D 2

prae-

o) vid. *Raii historiam plantarum* T. I. p. 515.p) *Iob. de Buchwald Specim. Botan.* p. 233.q) in *Introductione generali in rem herbariam* p. 13.r) *Iac. Christoph. Scheffleri Disp. de Afaro*. Altdorf. 1721.s) vid. *Ammannum in Character. plantar.* p. 426.



praeparatum, suaque signatura fuerit ornatum, vna cum formula
mox remouendum est a mensa sic dicti receptarii, ne ex errore
aut negligentia medicamentorum fiat permutatio, et remedium
quoddam in manus alius veniat, qui aliud exigit desideratque me-
dicamen. Ad marginem signaturae, dies et nomen autoris post-
ponendum est, vt medici sciant, vtrum bona sit indolis, quo-
tuplicibus vicibus fuerit reiteratum, et quo die. Nomen ministri
aut prouisoris autem eam ob causam subscribi necessarium esse
duco, vt, si forsan occasione data, de hac vel illa mala mixtione
et praeparatione aegri conquererentur, officinæ possessor, quis
ille fuerit negligens, seiat; quippe cum in nonnullis officinæ ea
sit consuetudo, vt ministri, quot adsint, semper quavis hebdo-
made locum mutant suum, et modo officinæ, modo laboratorio
præfint.

§. 9.

De constitutis pharmacopolis ratione Taxæ, visitationis.

Communis multis officinis ille est error, quod sese certæ fi-
xaeque non accommodent taxæ, sed potius arbitriae. Omne
enim medicamentum, si vniciatum quaeritur, non sub eo praetio
vendum est, quam si per drachmas vel scrupulos distribuitur.
In terris Brandenburgicis sub inspectione et auctoritate collegii
medici eiusmodi taxa eum approbatione regis introducta est, quam
nemo sub pena 25 imperialium transire tenetur. Lipsiae quoque
sub imperio Electoris Saxonie, *Ioannis Georgii II.* Anno 1669.
prodidit Taxa; sed vix dubito, eam ita sanctam esse, vt ab omnibus
et hic et in aliis Saxonie vrbibus, seruetur incolamis. Ditio-
rum aegrorum enim conditio non est attendenda, cum medici
his ut plurimum praetiosiora praescribant medicamenta t). *Fri-*
dericus

t) *Ludwigii Instit. Med. forens. §. 147.*

dericus Hoffmannus u.). tam incomparabile Pharmacopoeorum esse lucrum, asserit, vt quaedam medicamina pro uno thalero vendibilia, pro triginta, quadraginta et ultra vendant. Dicunt equidem, se maximis impensis opus habere, quoouis anno, in comparandis remediis, quae per decennium fere a nemine expetuntur. Sed respondemus, absque damno ea eiici posse cum veterum ineptiis, quaecunque in biennio non praescribuntur. Dein non credendum est, quod quoouis anno compositiones omnes confiant, sed maxima pars a proavis haereditate tradita est. Nihil vero Medicus efficit, nisi princeps vel magistratus succurrat, quod tamen non sperandum; *dona enim coecos reddunt sapientes, causamque iustam inuertunt.* Non est mihi animus hic Taxas specialiter euoluere, ne data opera quemquam pungere, vel nouas aut certas alii Taxas inconsiderate condere videar. Diffiteri interim profecto nequeo, quod ex vstatissimis ac polychrestis non solum triplum, quadruplum, sextuplum, sed octuplum quoque, duodecplum et amplius; et triuialibus et vulgatissimis non tam duplum tantum, quam triplum, quadruplum etc. iis saepe redeat; dum citra vllum rei domesticae errogatorumque sumptuum datum, magno vero reipublicae, praesertim pauperorum modo, subtriplo alicubi, alibi dimidio, vel in operosioribus altero tanto secure hac tempestate Pharmacopoeus acquiescere posset, et sub huiusmodi moderatione incedens nihilominus feliciter vivere sufficienter x). Medicus autem eam ob causam taxae, praecipue eius loci, ubi degit, fit peritus, vt auaritiam pharmacopoeorum expiscari possit; neque aegris pauperioribus cariora praescri-

D 3

bat,

u) l. c. pag. 40.

x) plora vid. in Danielis Ludouici Tr. de taxarum moderatione, Pharmaciae moderno seculo applicandae, adiuncto. Hamburgi 8. 1688. pag.



bat, diuitiis viliora, et ut tandem determinare possit, quod citer pro formula praescripta sit soluendum, quando fortassis ab aegro quaeritur.

Visitationem et inspectionem Pharmacopoliorum, quod attinet, superfluum foret damnum detrimentumque ex ea omissa oriundum demonstrare. Non defunt principum leges, quibus, ut omnia, quae in officinis afferuantur, quotannis semel aut bis, praesentibus nonnullis medicis, lustrantur, et quid emendandum fuerit, moneatur, praecepitur. Non etenim soli possessorum semper fidendum est peritiae; satis saepe, in minoribus potissimum vrbibus, tanto maior in officinis frequentius inspiciendis adhibenda est industria, quanto saepius viliora, aut corrupta in illis afferuantur simplicia, aequae ac composita, maximo saepe detimento assumentibus futura. In maioribus vrbibus vero non adeo facile in rerum pharmaceuticarum bonitatem cadere potest suspicio, cum sola peritorum medicorum copia attentum facere possit pharmacopoeum y). In terra Brandenburgica haec visitatio quotannis mense Iulii fieri debet, quia a summo Rege medicis publicis impositum est, quo officinas pharmaceuticas inspiciant, et efficaciora medicamina et exotica examinent; sola enim plurium rerum ad apparatus pharmaceuticum pertinentium copia, ipsis saepe officinis, eorumque possessoribus est molesta, nisi et bona huius supellestis qualitate, apta praeparatione, dextra administratione, atque frequentiore visitatione efficiatur, ut utilitati quoque accommodata sit z). Pyxides in primis pharmacopoli sunt perlustrandae; tituli enim saepe varia remedia habent, pyxides venena; in pyxide inaurata et specioso titulo adornata nil saepe nisi tela aranea

y) vid. Illustr. Plaz. Diff. de remouendis sanitatis publicae impedimentis, pag. 23.

z) vid. Ludwigii Inst. Med. forens. §. 65.

nearum reperitur a). Pharmacopoeorum superbia enim eum auaritia coniuncta excogitauit talia stratagemata, quibus imperitoribus perfuadent, quantos adhibeant sumitus in componenda praestantissimorum medicaminum multitudine, cum tamen pyxides praesertim in elevatori loco repositae, plerunque inane sint, si sedulo inspiciantur. Chemicorum praeparatio praesertim inquiratur, et ratione totius processus examinetur. In genere vero id circa visitationem teneatur, quod et simplicium et compositorum maxima pars sit superuacanea; sic Eleosacharum in promptuariis ferre sunt nullius utilitatis, possunt enim ex tempore parari; volatilia puluerisata seruare, prorsus est mutile; essentiae paucissimae seruandae, magisteria fere omnia, foeculae, vnguenta plurimae sunt inutilia, friuola, reliuienda etc. Qua ratione instituta visitatio docebit Pharmacopoeos, innumeris eos supersedere posse sumptibus, ad quos prouocare solent, quando de taxae moderatione fermo est. Id autem iis non concendendum est, vt vnam eandemque, e. g. herbam, pro variarum herbarum speciebus venditent; adeo enim saepe malitiosi sunt, vt instante die, quo officinarum visitationes fulciendi, defactum simplicium, his vel illis, supplere atque medico insultare cogitent; vtque, quod accidit, radices petroselini, prima vice pro petroselino, altera pro radicibus hyosciami medico offerant b). Id vnum adhuc addam, *omnes officinas*, neque aulica excepta, visitandas esse, quippe cum tradita habeat potestate Pharmacopoeo aulico, nimiam sibi tribuat auctoritatem, atque fraudulentiam suam clam constitutam, eo melius exercere possit; ita vt ministris, si illi conscientiosi fuerint, atque voluntati praepositi se se non potuerint neque debuerint accommodare, saepe mu-

a) vid. Fr. Hoffmannum l. c. pag. 40.

b) vid. plura in Ioh. Frid. Koronzay. *Diss. de erroribus in Pharmacopoliis ex neglecto studio botanico obuiis.* Sub praefidio D. Michael.

Allerti. Halae. 1723. 4. habita pag. 21. §. 19.



pe muneris sui det immunitatem, ne consilia sua mala ad principis perueniant aures, proque factis vlciscantur.

§. 10.

De remouendis aromatariis, medicastris etc. iisque, qui compesita vendunt medicamina.

Cum multa praecipue arsenicalia, mercurialia etc. efficacia, suspecta et venenata sint pharmaca, eo respicendum est, ne promiscue vendantur, sed iis tantum exhibeantur, qui rectum genuinumque eorum norunt vium. Pari cautione opus est in constitutis tabernis myropolarum, aromatoriorum, aliorumque, qui non nisi bonas atque genuinas pharmacopoeis vendant merces. Si vero, qui in operosioribus defudant operationibus, processibusque chemicis e. g. olei vitrioli, spiritus nitri, salis etc. serio adstringendi sunt, ut ea, qua par est, diligentia et industria in iis versentur, cuncta caute obseruent, probeque solum elaborata, iis quibus concessa est dispensatio, vendant. — Cum ius formulas parandi et dispensandi, aut composita vendendi ad solos pharmacopoeos (et ut infra videbimus et ad medicos) pertineant, aliis nebulonibus illud interdicendum est. Aromatarii, qualitati corporum et medicamentorum proportionatam solum vendant copiam. e. g. Mannam, rheum, Sennam, Cremorem Tartari, Mercurium viuum etc. non infra libram; alia minime infra libram diuidiam ut opium, arsenicum, balsamum peruvianum. etc. Mercurius praecepsitus ruber, olea praetiosa exotica, ut oleum Caryophyllorum, cinnamomi, nucum moschatarum, ligni Rhodii, aliaque, vniciatim solum ab iis distribuantur. A Chirurgis emplastrorum parandorum libertas, quae in officinis secundum dispensatoria parata inueniuntur, remouenda est; neque permittatur, ut medicastri, deceptores, chirurgi, tonsores, circulatores, circumforanei, agyrtae, perfumatores, aromatarii, tabernarii, sacerdotes,

dotes, bibliopolae, mulierculae, carnifices, aliaque hominum genera, distribuant medicamenta, quum omni cognitione profus sint destituti. Varii in hac plebe inueniuntur, qui imo litteras penitus ignorant, et tamen illicitis et puniendis viis sibi priuilegium et approbationem compararunt superiorum. Quae priuilegia cum sere semper ex lucri cupidine proueniant, inscioque Principe eudantur, minime aestimanda sunt; et quid obstat, quin sere cuique ea lacerare, flammaeque ignis tradere licitum sit, cum sere quiuis idiota, sacerdos, Iudeus, Monachus, histrio, rasor, anus, miles, mercator, nutrix, pharmacopola, se medicum esse, restituereque sanitatem posse, fingat. In omnibus prouinciis quotannis iure meritoque conqueritur, de illicita consuetudine potestateque, quae sensim sensimque magis increbat, qua empiricis c) permisum est, sub forma arcanorum, fictorumque utilissimorum remediorum saepe suspecta medicamina, imo tetrorema et periculosissima vendendi, quum quando perfuadentur, ut detegant arcana, nolint. Infelices regiones empirica repleteae peste! Optimum est tali in casu medicamentum, non ut medicamento. Non defundit quidem leges, ut eiusmodi homicidae feueris comprimantur poenis, diraque e republica empirica submoueatur pesta; at qui sint, vbique inueniantur, qui laude feueritatis, sincerique animi, mereantur, ignoro. Nonne dolendum est, quod et vilioris, et ditionis fortis homines adeo pigri stultique sint, et machi-

nae

c) Iis, qui Medicinam modo empiricam esse existimant, offero illa verba, Celeb. Ioh. Leberechtii Schmuckeri in libro eximio inscripto, *Chirurgische Wahrnehmungen. erster Theil.* Berlin 1774. p. II. der Streit ob die Arzneykunst eine Wissenschaft, und ob sie einer Gewissheit fähig sey, ist endlich beygeleget worden; und nur noch einige sciehte Köpfe, die keine Kenntniß von den Grundsätzen dieser gütlichen Kunst haben, können diese Streitfrage in unsren Tagen im Ernst aufwerfen. etc.

E



[decorative horizontal line]

nae suae, quae artificioſime exſtruēta eſt, ſummoque cum labore conſeruatur, eiusmodi hominibus trādant vitam? Vnum idemque eſt, an ab empirico medicamen, an vero venenum accipiam. Leue remedium in empirici manu, iam venenum eſt, eo magis autem validum, efficax, draſticumque. Cur vero plura cogitem, cū ad hanc rem exprimendam, tanto utar labore, cum adſint verba ILLUSTRIS noſtri Decani, Praeceptoris in aeternum colendi, Antonii GUILIELMI PLAZII in promptu: „Taedet miſerrime memi- „niſſe ciuium conditionis, quoſ empiricorum ac medicaſtrorum „agmine numeroſo pene obſeffos, atque quoſrum elabantur ne- „ſcios, dum doleo vix durioribus, vel hac ſola de cauſa, premi „poſſe fatis, exiftimo. Iſtud profeſto

„ſecundum in fraudes, hominum genus d).

„adeo miris artibus, ſanitati, maxime tamen crumenis aliorum
 „infidiari, quis nescit; — quorum garrulitati, Thraſonicis dictis
 „medicamentorum speciosis titulis, testimoniorum dolofe emen-
 „dicatorum, aut fraudulenter ſuppositorum commendationibus,
 „ſiquidem fidem habueris, tanquam diuinitus miſſos, veneraberis
 „iſtos Aesculapios, quoſ nequitiam nihil minus, infidiosiſſu-
 „cis occultatam, breui poſt, euentu oſtentationibus haud respon-
 „dente, detectam, manibus palpare poteras. An quippe putas,
 „credule nimium ciuiſ, circulatores, auratis curribus vehentes,
 „familis cinctos, magno praetioſiſſimorum instrumentorum ap-
 „paratu iſtructos, ſequipedalibus phaleris iactantius multa decla-
 „mantes, magna iſolataque ſonantes, vaniloquentia ſua, vulgi,
 „ad theatra ſua in suburbis multo agmine confluētis, aures mul-
 „centes, tibi vitam datus? — An viliore praetio te ſalutem a
 „Seplasfario emturum opinaris? Falleris. Nummos incaſsum
 „collocas, magnis ſumptibus mortem, aut maiores certe tibi mor-
 „bos

d) *Silius Italicus*; bell. Punic. lib. II. 503.

„bos comparas, dum minoribus impensis sanitatem impetrare
 „poteras, eandem vna cum nummis tuis te perdidisse propediem
 „experiere. Dubitas? exempla computa illorum, qui monitis in-
 „genuis parum obsequiosi, data opera in exilium ruere, quam
 „consilium mutare maluerunt. Age repeate fostrum. Euaserunt
 „tui Machaones, machinis suis alibi alios decepturi, tuam, alio-
 „rumque credulitatem derifuri. — At commiseratione haud di-
 „gnus es. Alienis sapere nolebas periculis. Tuo ergo tibi edis-
 „cendum erat damno, quam parum impune artem spreuisse li-
 „ceat. — Cautius ergo disce mercari, ne in te, aliosque tuae
 „credulitatis socios, antiquum illud dicendum sit scommata

„Quanta putatis esse vos demenciae
 „Qui capira vestra non dubitatis credere,
 „Cui calceandos nemo commisit pedes e).

„Igitur:

„Vos quibus imperium est, urbis qui frena teneris,
 „Ne tantum tolerate nefas, hanc tollite pestem etc. f).

Quid autem magis promouet talium remediorum diuulgationem, quorum existentia forsan per saecula proflus ignota fuisset, quam licentia per impressionem typographicam, aut mediantibus nouellis publicis, aut propriis schedulis hanc farraginem iactabundis encomiis offerendi credulis. Ponas quandam fiducia eo deduc-
 etum, vt accipiat medicamen, soluit pecuniam, deglutitque re-
 medium, quod morbi causae, tempori, viribus, aetati, sexui, aliis-
 que singularibus hominis conditionibus non est accommodatum.
 Quaenam non interest differentia inter infantem et adultum, in-
 ter marem et feminam, inter menstruatam et grauidam, pletho-

E 2

ricum

e) vid. Pbaedri Fabul. lib. I. Fab. XV. v. 14.

f) Diff. de sanitatis publicae obstaculis. p. 35. conf. Eiusd. Diff. de amoliendis sanitatis publicae impedimentis. 1771. §. IV. et Ioh. Frid. Baueri Diff. de hodiernorum empiricorum fraudibus. Lips. 1720.



ricum et cacoehymicum, robustum et debilem? et tamen istiusmodi nebulones omnibus his e. g. vnum idemque exhibent purgans. Quanta dementia! Nullo modo mihi id obiici potest, hanc limitationem esse contra libertatem mercaturae et nundinarum, cum magistratui cura *sanitatis publicae* tradita sit. Praeterea, quod ipsimet Myropolae frequentius secretas iactent compositiones v. g. pilularum, tincturarum, ex aliorum schedis ereptas, vel sine ratione et consilio confarcinatas, et quidem sub efficacissimorum et polychrestorum titulis, easque cum litteris commendatiis typis exscriptis orbi obtrudant, si non lucri, famae tamen maioris prae Medicis sibi et suis sociis acquirendae et innotescendi (certo certius fallendi) gratia; ridiculum forsitan alicui videbitur, quod tamen reapse sit, quod varii venditent medicamina suae rationi viuendi conditionique accommodata. In bibliopolis inuenies remedia contra morbos litteratorum, hypochondriacorum; in tabernis mercatorum Anglicorum, medicamenta in terris Anglicis parata, essentiam stomachalem anglicam, elixir stomachale Stoughtoni etc. Mercatores galici saepe contra gonorhaeam benignam et malignam, luem venereum, impotentiam, ad menstrua et foecunditatem promouendam auxilia distribuunt. Qui cupit remedia contra lipothymias, quas non metuit, vel ad nitorem gravitudinemque corporis conseruandam, adeat tabernas, galentericas sic dictas; mox hic ei spiritus fragrantissimos, Aquam Hungaricam, Eau de Lavande, Eau de Luce, pulueresque dentifrices, quibus breui temporis spatio sine magnis impensis dentes prospersus corrumpuntur, offerunt. Obstetrics et mulierculae iactant remedia statum grauiditatis, et praefens vel instans puerperium spectantia; nonne lacrymis dignum est g), hominis omnium nobilissimi vitam, ignarissimis tradi mulierculis? O miseri mariti!

mortales

g) vid. Ill. Anton. Guil. Plazii *Orationes quasdam, Orat. de seminarum in Medicinam imperio.* Lips. 1774. p. 12.

mortales caeci, qui rem non cernit istam.

Quorum vel maxime dolenda est sors, qua suis non solum priuantur coniugibus, verum etiam, quod non minus durum est, audacissimarum muliercularum turbae parere coguntur, ita ut Tiraquello Iurisconsulto Gallo neutiquam vertendum sit vitio, quod frequentioribus his usus fuit precibus. *A medico indocto, a cibo bis costato, ab imperiosa muliere, libera nos Domine.* Operatores, dentarii, ocularii, herniotomi, lithotomi, ferendi quidem sunt, ita tamen ut necessaria cognitione morbi partiumque corporis humani instructi, medicamina ipsimet non parent, quum artem non didicerint pharmaceuticam, lucrique cupidine ducti, vilia imo nociva aegris offerre possint h). — Tandem, ut hoc adiiciam, Pharmacopolium caendum est a confugio hominum dissolutorum, qui sub vario praetextu spiritus sibi vitae et sanitatis praesidia dicta, non medicamentorum concentratorum ad instar guttatum, sed vniciatim imo largiori copia, quotidie in ipsis officinis, in quibus hi liquorres spirituosi, aquae vitae dicti, omnis cuiuscunque generis venales prostant bibunt et ingurgitant. Vniuersam propemodum civitatem, vel magnam certe eius partem male habere fere credideris, cum quam plurimi nunc appetitus promouendi gratia, nunc stomachi roborandi ergo, nunc flatuum dispellendorum causa, nunc cruditatum et naulearum, et pinguium esu contractarum, animo corrigendarum, sola tantum consuetudine ducti, in officinis conueniant. Accedit et id quod ebrii eiusmodi dissoluti spurcis folidisque sermonibus aduenientium modestas violent aures. Releganda esset eiusmodi saex plebis ad tabernas vini adusti; quod autem nonnullorum Pharmacopeorum palatum gratae non titillaret, cum plerumque eam *omnis generis aquarum vitae copiam*

E 3

possi-

h) ex formularum praescriptione earumque collectione ortus pestis empiricae et arcanorum potissimum deducendus est. vid. D. Iob. Bolnii, de officio medici duplci clinici nimirum ac forensis. Lips. 1704. 4.

pag. 443.



possideant, vt nisi eiusmodi homines eos visitarint, eam quorundam ponenter, fere nescirent. Haec de generali constitutione Pharmacopoliis dicta sufficient. Transeamus ad eos, qui iis praefunt, nempe Pharmacopoeos ipsos, ministros et discipulos, quidque hi ad decrementiam Pharmaciae contribuere valeant, videamus.

§. II.

De constituendis pharmacopoliis ratione Pharmacopoeorum, s. Possefforum.

Non ubique egregia constitutio regis Borussorum inuenitur, qui tres Pharmacopœi totidemque Chirurgi in Collegio Medico adesse debent, et quisque medicus suum Cursum anatomicum, quisque Chirurgus cursum operationum et Pharmacopœus suos processus pharmaceutico - chemicos publice demonstrare cogitur, et absque approbatione et Collegio Medico ad artem suam exercendam non admittitur. Quo fit, vt in terris Brandenburgicis non aequa ac in aliis regionibus facile sit, permissionem licentiamque exstrendae officinae impetrandi. Celeb. *Hebenstreitius* aequum et omnino necessarium dicit, quo pharmaceutae ad res suas, secundum artis regulas, secundum conscientiae præcepta, et normam sibi a medentibus præscriptam fideliter agendas, a magistratu adstringantur. Possunt enim vitae ac sanitatis præficia, sed et solent quandoque morborum mortisque causae in officinis emi — Praeterea, quod Pharmacopœi linguam latinam exercere debeant, vt discipulis occasionem, suo sequendi exemplo suppeditent, præcipuum fere est, vt omnium corporum naturalium, quae in officinis habentur, gnari sint, hinc non indignum iudicent idem agere, quod vetulæ, rustici rhizotomi; peragrent campos, perlustrant prata, peruagentur sylvas, peruestant valles, ascendant in iuga montium, explicantur herbulas in aquis et stagnis, vt non solum nomina, ex quorum ignorantia, saepe maximum, vt supra monui, oritur damnum, sed et partes corporum sibi

sibi reddant familiares. Magnam enim isti Pharmacopoei merentur censuram, qui omnia inconsiderate suis inferunt scriniis, quaecunque imperiti et malitiosi interdum afferunt rhizotomi; quo quoque factum ut in certis tantummodo officinis, nonnulli regnent errores. *Joh. Frid. Koronzaey* i), Hallensem quandam rhizotomum, dicit, officinis imposuisse, vendendo illis *afragalum* flore luteo, loco *galegae*; et cum illi errorem hunc ob oculos poneret, serena rhizotomus dixit fronte: hoc diu mihi perspectum fuit, at cur illi non sapiunt, quod semel ratum habent, illud meo damno irritum non reddam — Ea autem in primis facile confundi possunt, quae vel species sunt vnius generis, vel figura externa prope conueniunt. Accedit ad ignorantiam exiguumque cognitionem Pharmacopoeorum et id, quod, postquam per certos et stipulatos annos permanerint in Pharmacopolis, in quibus quam faepissime iis occasio defuit, ad hanc artem ex principiis rationalibus exercendam, ob instrunctionis defectum, timidi non audeant, ut potius vni eidemque officinae, per duos vel tres annos sub nomine ministri, vel sic dicti prouisoris adhaereant, et data occasione per fas aut nefas propriam exstruant officinam. Non mirum est igitur, quod nullum artis viderint discimen, neque errores aliorum cognoverint, neque mores; cum in suum ingenium, eruditio nem, et industriam omnem collocauerint spem et fidem. Quam ob causam eruditos doctosque consulant viros, aque medicis examinentur k), e. g. ratione venenorum, quid sit venenum, quae possident corpora venenatam qualitatem, quae eorum dosis sumenda; ratione praeparationis compositionis et mixturae, quo modo

i) in *Diff. de erroribus in pharmacopoliis ex neglecto studio botanices obuiis.* praeſ. D. Michael *Alberti.* 1733. p. 19. §. XV. conf. *Bohn de officio duplici* pag. 453. fq.

k) vid. *Frid. Hoffmanni Med. Politic.* p. 47. *Ludwigii Instit. Med. fo renſ.* §. 66.



modo instituenda, quid ex mixtione proueniat, rationemque processuum reddant, ratione terminorum technicorum sciant, quid sit bolus, linctus, apozema etc. — Ne taxae limites transeat Pharmacopoeus iure iurando obstringatur — Sua vero forte potissimum contentus sit, ne Alchymiam exercendo lapidem philosophorum quaerat, neque ex lucri cupidine eo deueniat, vt omnem operam det, eam sibi acquirendi diuitiarum copiam, quae necessaria est ad titulos varios obtinendos. Adeo enim saepe auari, obseruantur ut non prius contenti sua forte sint, donec praediolum sibi aedificant, vbi in loco satis amoeno hortoque gratissimo, a ciuitate paululum remoto vitam degere possint. De arte pharmaceutica tunc parum folliciti, non nisi prius ad ciuitatem redeunt, donec arcum, pecunia bene numerata computataque esse repletam sentiant. Aliis vero nil magis curae cordique est, quam vt falso nomine speculatoris naturae et rerum naturalium inuestigatoris, cura Pharmacopolii posthabita, iactitare possint. Non enim is sum, qui eiusmodi collectiones vituperet, dummodo eam ob causam instituerentur, ut cognitionem omnium corporum naturalium sibi reddant familiarem. At, proh dolor! haud saepe infantum adinstar contenti varietate coloris, delectantur pulchritudine, hancque egregiam scientiam in lusum mutant puerilem. *Lisetum* hinc neutrum vituperandum esse existimauerim, qui artem pharmaceuticam iam magis, quam vñquam fuit, dubiam esse, asserit, siquidem artifices se immisceant rebus minime ad se pertinentibus, totque negotiis, vt impossibile fit, vni sufficere. Ratione praeparationis medicamentorum nonsolum exotic bona genuinaque ex loco natali, vel principibus vrbibus praescribenda sunt, sed etiam formulae a medicis rite promotis neque ex proprio arbitrio, neque ex desiderio aegrotantium, medico inscio mutandae. In primis vero medicamina dispensanda non omnibus sine discrimine committenda sunt, iisque praeparandis Pharmacopoeus ipse semper adesse

adesse debet l), ne si grauiora generosioraque desiderantur, vel ex negligentia, vel ex famulorum inficitia magni committantur errores, neque cum plura praeparanda fuerint, inter se confundantur, vel alia substituantur; ne m) e. g. cui potio diaepnoica temperans mittenda erat, detur cataractica, aut loco radicis enulae, radix esulae, loco lycopodii, lycoperoni, loco gummatis fandracae, fandaraca arsenicalis fumatur. Cum feminis dominandi cupiditas fere innata sit, earumque imperium, non nisi cum rixis calumniisque coniunctum sit, cum vel discipulos, vel ministros alios mox reprehendant, mox alios laudent, mox aegrotantes consilio iuuent, mox medicamina praescripta vituperent, optime Pharmacopolio consultur, si a vestigiis feminarum incolume servatur, cum multi Pharmacopoei adsint, qui, cum ipsi omne tempus commoditati n) vitae applicant, suis mulierculis curam officiae, tradant. Illud vero studium, aliis victum e faucibus eripiendi, illamque consuetudinem, medicamina, quam fas est, minori praetio, ut aegros ad suas alicant tabernas, vendendi, quam maxime vituperandam esse, facile omnis is perspiciet, quem non fugit, myropolis interdictum esse, medicamina, vel corpora medicamentosa in parua dosi dispensare, vel praeparare, hinc Pharmacopoei quoque similem obseruare debent aequitatem, neque vlla esculenta, vel potulenta, ut vinum adustum, acetum, aromata que distribuant. Multo minus, quicunque ille fuerit, illud pactum Pharmacopoeorum cum Medicis constitutum, licitum depraedabit, dum illi his persuadere student, ut omnes ab ipsis praescriptas

tas
1) peritis pharmaceutica enim non ex sola auctorum lectione, sed vnu
depedet Bohn de officio duplici p. 443.

m) vid. Magnif. Plazii Diff. de remouendis sanitatis publicae impedimentis. pag. 24.

n) Bruxius ad Sennerrum in epist. 32, Cent. I epist. med. ait: *Pharmacopoei fuci sunt, qui mel magno labore ab apibus confectum luxuriose deu- ran, otio torpescentes, omniaque seruis et famulis commendantes.*



tas formulas suis tradant officinis, cum hac ratione medicis conceſum argentum, ab aegris rursus per duplicitatam accipient taxam. Quoties annus igitur confenserit, laboriflmas hinc, vt verbis *Ill. Plazii* o) vtar, cernere licebit famulorum pharmaceuticorum manus in praeparandis morsulis, replendis lagenulis, dulcissimas aquas vitae continentibus, negotiosos, Chocoladae, Theae, Coffeae, Sachari, puluerum fragrantium, similiumque suavitatum ciftulas et scutulas coaceruantes, quae munuscula, cum annus exerit

postremique dies ultima mensis adeſt,

ad medicorum domus delata, tacitam gratiarum actionum habent vim, quibus ad plus ex officinis petendum quilibet medicorum invitatur. Cum incertissimum sit dosis et effectum medicamenti ab aliis praeparati, definiſre, abſonum eſt, si Pharmacopoeus, commoditatis gratia e. g. Tartarum emeticum, Resinam Ialappae, Sulphur antimonii auratum etc. ab aromatariis, vel aliis Pharmacopoeis apportari iubet. In terris Brandenburgicis concessum eſt quidem Pharmacopoeis parare et exhibere leuiter laxantia, at nulla mercurialia, antimoniaſia, opiat, phenonium romanum, requiem Nicolai, nulla vomitaria, purgantia, bezoardica et sudorifera, praeparatioque formularum a medicaſtris, aut ſuſpectis praefcriptarum. Ultimum denique circa Pharmacopoeos ipſos, id obſeruandum eſt, ne curam morborum in fe fuſcipiant, et vel medicinam vel Chirurgiam exerceant. *Simon Pauli* Pharmacopoei minime eſſe, ait, explorare pulſum, inſpiçere vrinam, ne que ad profanum vulgus de morbis diſſere, multo minus curare. *Carolo V.* imperante editum eſt A. 1540. mandatum, quo Pharmacopoeis interdicitur, ne aegros viſitent, aut illis abſe Medici con-

o) in Orat. de Galeno opes dante vid. Ei. Orat. quasdam Lipl. 1774. 4. editas. pag. 71.

consensu p) medicamina porrigan. Simile inuenimus in *Ordinatione Bauarica* q). Es sollen die Apotheker vor sich selbst und ohne Erlaubniß der Doctoren sich nicht unterscheiden die Leute zu curiren, selbst Recepte zu ordnen, und das Amt eines Doctoris zu gebrauchen. It. In der Leipziger Apotheker-Ordnung An. 1669. Die Apotheker sollen vor sich nicht curiren, noch practiciren, welches wir denselben einzurümen nicht gemeynet, sondern die Patienten an die Herren Medicos verweisen r). Sattlerus haec omnia eam ob causam sancta esse dicit, quia cum medicus persona a republica per insignia Doctoralia approbata sit, nemo Pharmacopolarum se talem venditare possit. Prout enim Pharmacia in tabernis Pharmaceuticis addiscitur et exercetur, ars mere mechanica est. Aliud est instrumenti cuiusdam Praeparationem nosse, aliud nosse eius genuinum usum, seu hoc dextre administrare. Haud porro sequitur, gaudent bonis medicamentis Pharmacopoei, ergo commode haec applicare scunt; perinde ac non quilibet, qui equum generosum tenet, equitem multo minus equisonem sequactare valeat. Longe igitur differunt, qui clysterem praescribit, et qui eundem parat, atque applicat Sepulchrius, cur seu quem in finem iniiciendum nefscius, nisi sutor vilita crepidam, et apothecarius, per commune adagium, extra pyxidem sapere velit. Certe nemo sutori, ait *Hebenstreitius* nisi artis sua gnaro, calceandos pedes tradit, ast sapientes viri sua capita

F 2 tra-

p) quod Pharmacopoei medicorum consensum saepe magni non aestimant, ortum est, ex nimia familiaritate Medicorum cum iis, qui cum pharmacopoeis fraternitatem contrahunt, vel ludere cum ipsis. non detrectant; sic enim fastus eorum augerunt, quoniam superiorem sibi similem reddidere, sive diuitiis abundant medicum pauperiorem non solum flocci pendere, sed etiam penitus supprimere student.

q) Provinc. 3. tit. II. artic. 3.

r) Cui parallellae obseruantur. *Die Hessische Medicinal Ordnung*. 1617. *Riegaufische Apotheker Ordnung*. *Constitutiones medicinales Brandenburgiae conf. Ludwigi Instit. Med. forens. §. 132.*

44

tradere rustico homini, non verentur, cui fides habenda propterea haud esset, quandoquidem se praestitisse gloriatur, quae nunquam facere didicit. *Bartholinus* in epistola ad *Patinum* miratur, dicens: *nescio, cur illis adeo ubique fere gentium pruriat cutis, vt intra officium se nequeat continere.* Plerunque enim varii ostentatores ad medicinam faciendam furtim se ingerunt, quumque apud aegros inferius tantum guttur eluere deberent, superius audent inquinare. *Montispesj* suli referente *Conringio*, illis qui medicos se mentiebantur, poena haec fuit, asino nempe strigoso et scabioso imponebantur, et auerafa facie in vrbe circumducebantur. Rationes, autem, cur Pharmacopoeis praecipue, morborum cura interdicenda sit, hae fere sunt. 1) Quia medicinae prorsus ignari sunt. 2) Quia teste *Ludwigio* fostrum exigeret nequeunt. 3) Quia omnes formulas in suis officinis parari iubent, hincque varia composita, sub nomine tecto e. g. Aqua composita, syrupo composito, puluere vniuersali, electuario infantum etc. quae in aliis officinis exhiberi non possunt, quum praeparationem ignorant, praescribunt aegris. 4) Quia saepe ea ingredientia immiscent compositis, quae nullus mortalium fere desiderat, quaeque saepe, licet vilioris praetii sint, tamen soluuntur summo praetio; alias fraudes ut taceam — Restant nonnulla officia Pharmacopoeorum respectu ministrorum et discipulorum monenda. Valeat potissimum auctoritate, ut omnia prompte, laete, sineque murmuratione peragantur; permittat illis certis temporibus aliquam libertatem, ut a laboribus continuis abstinere, animumque recreare possint. Cum parcitas falriorum, seu honorarii haud saepe ansam excursionibus instituendis vel furto praebeat, bonam hic Pharmacopoeus obseruet aequitatem

s) Omnes Pharmacopoei curantes morbos ex omnium sententia pertinent inter medicastros. *Camerarii* memorabil. Med. Cent. I. part. 52. *Roderic. a Castro* Med. Polit. I. 2. c. 4. *Primerosi de error vulgi in medic.* l. r. c. 3. *Freitagii Noſt. med.* c. 20. *Simon Pauli de offic. med. pharm et chirurg.* *Bassili* Med. polit. appar. 3. c. 17.

tem, tempestueque illud soluat. Maximis cum illis laboribus, qui a ministris quotidie suscipiuntur, coniuncta sit potulentorum et esculentorum sufficiens copia. Nullam iniquitatem quoque ea res habere videtur, si magistri pharmaceutici ipsi cum ministris, priusquam hi suum agredenter munus, examen instituerent, ut scire possint, quid ab eorum eruditione expectandum sit; cum nemo sana praeditus ratione homini ignoto, et si publice exhibita, saepe vero abrepta et e blandita, testimonia ostendat, facile credat.

§. 12.

De constituendis pharmacopoliis ratione ministrorum, et discipulorum.

Ministros seu prouisores sic dictos, quod attinet, et inter hos saepe maxima latent impedimenta, quo minus officinae, ad eum, quem debent perfectionis gradum peruenire possint. Non ignore quidem multos prouisores tamen diligentibus industriosque esse, ut omne in legendis libris sibiique paranda cognitione impendant tempus superfluum, parum vero ad correctionem officinarum contribuere valebunt, quam diu adhuc sub seruitute et barbarie tyranni imperitique ingemiscant; omnia enim consilia bona ministrorum, siue ob defectum iudicii de vero ysu detimentoque officinae suae, ex incredibili superbia et prava animi contentione aut ex puniendo priuato contemnuntur commodo. Adeo enim saepe Pharmacopoei superbia laborant, vt sibi fere dedecori esse, credant, si famulus aut prouisor prudentior esse, quam ipsi, vellet. Quum vero eiusmodi ministrorum sat exigua inueniatur copia, causae decrescentiae pharmacopolorum ab ipsis dependentes erunt a me commemorandae. Plerumque in officinis librorum bonorum approbatorumque deest ministris copia, ita ut neque ipsi eos euoluere, neque aliis ad perlegendos tradere possint. Laetissimi et contentissimi de annis barbaris peractis, pristini status obliti, si-



milem saepe, erga subditos discipulos, quorum antea socii confortesque erant, cumque quibus occulte genuerant, superbiam, barbariem et rusticitatem exercent. Cum ipsis adhuc essent discipuli, fere omnes labores, praecipue ponderosiores et grauiores, tanquam arcana et secreta in obscuritate et silentio ponebantur, ne nimis mature prudentes doctique euaderent. Quamprimum autem tyrocinia fatis diu protracta fuerint, (cum maiores honores in officinis, non secundum eruditionem, industriam, sed annos ponderentur) pleni fiducia ad tritum prouerbium: *Deus ingenium cum munere coniungit*, nouum serena fronte agreduntur munus, nouosque labores, quos olim nequidem salutauere. Hinc non mirum, si varia medicamina, cum omnis cognitionis physicae et chemicæ penitus imperiti sint, corrumputur, vel alii, grauesaepe committuntur ab iis errores. Alii pigritiae somnoque adeo dediti sunt, vt, si aegrotantes officinas iam obserفات, vel absque directione prouisoris inueniant, ad alias se conferant officinas. Licet nonnulli sciant, periculum saepe esse in mora, noctu tamen adeo commoditati suae indulgent, vt surgere e lectulo nolint, et formulas discipulis tradant dispensandas, vel, si surgunt, aduenientes rusticō fere tractent modo. Nihilominus tamen, vt provvisor semper in officina dormiat, necessarium esse duco, vtque serio obstringatur, ne commoditati suae adeo indulget, vt vel aegros periculo mortis, vel medicinam parandam erroribus exponat. Urbanitatem vero erga omnes et singulos, in primis medicos rite promotos exerceat, viuat vitam honestissimam et integrissimam; aliorum praesertim magistri pharmaceutici imminuere non cupiat auctoritatem, neque ab sit a laboribus a discipulis suscipiens, iisque veram methodum, et procedendi tradat rationem. Omnem adhibeat operam et attentionem in parandis et dispensandis formulis praescriptis. suspecta vero, et venenata nemini vendat medicamina, neque medicastrorum (*Pfuscher*) accipiat formulas

las. Aegrotantes, auxilium desiderantes, medicis rationalibus tradat; multomagis autem formulas mutare, vel medicamenta infra, vel supra taxam, vendere, vel et ipse aegros consilio iuuare non audeat. Cum haud raro accidat, ut remedia per longum temporis spatium ab eo emendicanda sint, aegro interea moriente, citissime igitur summa tamen cum attentione, auxilio suo succurrat suspirantibus. De formulis a medicis rationalibus praescriptis instrumentum non ferat iudicium, ne aegris metus iniiciatur, vel ab assumptione medicaminum abstineantur. Si vero aliquem errorrem a Medico commissum obseruauerit, vel aliquam obscuritatem formulae inesse intellexerit, hac de re medicum, sub sigillo tamen, faciat certiorem. Vt omnia rite, bonoque procedant ordine, et remedia, quae deficiunt, et debita, in libris ad hunc scopum destinatis, sedulo adnotare debet. Pecunia soluta sine mora committatur arcae destinatae. Sui ipsius, suaeque sanitatis imo vitae causa caueat, ne in detonatione, vel praeparandis aliis periculosioribus remediis, aliquid accipiat detrimentum. Praeterea vero, reliquis circumstantiis fauentibus, et in aliis locis regionibusque suam ut exercere possit artem, omnem nauet operam, ne eandem canat cantilenam, vel data occasione aliorum vituperet labores. — In nonnullis urbibus, praecipue autem tabernis pharmaceuticis aulicis, iure iurando cum vehementissimis comminationibus coniuncto, tam prouifores, quam famuli obstringuntur, ut omnia medicamenta simplicia quam composita rite absque adulteratione, vel suppositione parent, praecipue vero eorum maximam gerant curam, quae Principi destinata sunt; quod quidem si seruatur, bonum: saepe autem medico omni conscientia defluit foedera in perniciem principis iungunt, prouiforesque contra officium agere cogunt.

De constitutis pharmacopoliis ratione discipulorum.

Progrediamur vero nunc ad discipulos eorumque tyrocinia, et videamus, vtrum iam in scholis, vt ita dicam, pharmaceuticis fundamentum decrementiae ponatur. Ut inexplicabili magistrorum pharmaceuticorum lucri cupidini satisfiat, eiusmodi discipulos ex faece plebis eligere solent, qui non solum diuitiarum affluxu destituti sunt, sed et de exstria fibi aliquando officina prorsus desperant. Ut vero hos miserrimos in sua seruitute et barbarie diutissime retinere possint, aut discipulis ipsis, aut parentibus, aut tutoribus persuadere student, vt paclum de tyrocinii ineant, promittantque se per septem imo octo annorum spatium perpetuae addicatos esse velle seruituti. Tyrocinii initio facto, nullum obseruatur discrimen, an nati sint ex honesta familia, an ex faece plebis hominibusque vilioris fortis, an bona an mala olim vii fuerint educatione. Tradit igitur mater saepe dilectissimum filium in manus hominis, saepe furiosi, tyrannique, gaudet interim laetaturque, Pharmacopoeum eum futurum, qui filiolum doceat, reprehendat, corrigat, cum ratione castiget, saepe et ei parcat, praesertim in laboribus, qui pueritiae, vel iuuentutis superant vires, qui eum a laboribus indecentissimis abstineat, adque rem pharmaceuticam non pertinentibus; at, quae dum examinat, miserrimam rerum, suarumque cogitationum mutationem inuenit, tyrociniaque officinan fere omnis malitia, astutiae, et fraudulentiae incredibilis esse obseruat. Vrauctoritas Pharmacopoei mox ab initio tyrocinii apud puerum maximi sit momenti ponderisque, eumque submissum, effeminatum, fractum, reddat, posthabita eius natuitate, a domino et prouisoribus tuissatur, si ita dicere licet, accipit vestimenta indecentissima, vtque cibum in societate ancillarum muliercularumque capiat, cogitur. Quantum eiusmodi sordidum consortium, cum simillimo sermone coniunctum in mutandis animi moribus do-

tibus-

tibusque valeat, ii optime diiudicabunt, qui officinis interfuerent. Feminae cum quauis occasione regnare velint, et dominium in discipulos exercere student, dum ancillas relegant, cum puer pharmaceuticus adsit, cui omnes demandari possint labores, domestici et pharmaceutici, e. g. patroni et prouisoris decorare calceos, officinam pharmaceuticam, cellam, laboratorium depurgare, omnia vasa, vitra, cistas, pyxides litteris appingere, serra praecidere ligna, carbones emetiri, lagenas vitreas colluere, in hortis locum herculani tenere, arbores praescindere, farrire, hortum fodere bipalis, plantas ablactare, theam et Coffeam parare etc, reliqua vt taceam. Minime quoque excusari potest, si pueris 14 vel 16 annorum difficillima ponderosissimaque corpora in prodigiosis amplissimis et maximis mortariis traduntur frangenda, contundenda, comminuenda, cum hac sola de causa saepe curuis incedant pedibus. Quis est, qui eos ad cognitionem rei herbariae ducat, vel libros ad legendos euoluendosque tradat? Trahuntur retrahunturque a laboribus magis subtilioribus, ne nimis cito sapiant; mittuntur potius ad debitores, vt omnia iis arcana maneant; si vero cognitionis cuiusdam rei cupidi fuerint, reprehenduntur, imo colaphorum copia castigantur. In plurimis officinis pharmaceuticis secundum institutionem propriam minime permisum est, vt discipulis durantibus tyrocinii praeparet formulas latinas compositas, simulac $\tau\delta$ recipe antepositum est; reliquae vero, quae hoc signo carent, vel in lingua scriptae sunt patria, sine discrimine titronibus committuntur; quod sane etiam magnam meretur censuram. Cum multi eius flultae opinionis sint, dedecori esse cum discipulis loqui, pueris summo cum rigore interdictur, ne cum aliis, praecipue in praesentia domini, vel prouisoris, quendam habeant sermonem. Vbiique fere discipulis argentum secum ferre prohibitum esse inuenies, vt omnis suspicio metusque cauteatur furti, quod quidem in nonnullis, at non omnibus casibus

G

bonum

bonum aequumque est. — Ne autem minutis, et forsan a quibusdam dictis ineptiis diutius inhaerem, commemorandis erroribus pharmaceuticis, ob pagellarum angustias aliasque causas, in primis temporis breuitatem, finem impono; cum reliqua requisita non solum, sed et errores in officinis variis diuersisque, omni viro sagaci, conscientiō, attentoque noti sint, neque vltiori indigent illustratione. Verum videbitur Censura haec mea non paucis rigorosior. Vtinam excitet viros cordatiōes, vtinam principes, qui hoc etiam in passu salutē publicam amarent, statuisse Pharmacopoliōrum summe deprauatum aliquando corrigere, reformatent. *Id mecum optant omnes boni, haud facile vero sperant.*

§. 14.

Quæstio: Num Medicis ipsi Medicamenta parare et exhibere possint, vel debeant?

Antiquissimis temporibus non tantum pharmacopoeorum finitimitati et auctoritati tribuebatur, vt *omnia ei praeparanda committerentur* e. g. Mithridatium et Theriaca, quae in ducatu Florentino et Ferrarensi semper in præsentia miscentur et parantur medicorum. Hinc mirum cuicunque atque iniustum videbitur, si pharmacopœi sola auctoritate parandorum medicamentorum inter omnes valere, medicisque præparationem et distributionem remediorum interdicere, audent. Medicus, ait Thomson, cum religiose suo munere fungi debeat, propriis aggrediatur manibus præparationem medicamentorum, alias ignorantiam superbiam et socratiam sapit, seplasioris insulso, mereque mercenario (pharmaceuticum putat) forsan improbo, vitam patientis maxime aestimandam committere. Ne vero inhonestum, dedecorique id esse, quis putet, *Fernelii, Matthiolii, Quercetani, Sennerti, Schröderi, Syluii, Lemery, Wedelii* adduco exempla, qui omnes maxima cum

cum industria omnem in hac arte nauarunt operam. Agedum! capite animos, medici, labore more *Hippocratis*, patris Medicinae qui simul medicum, pharmacopoeum, et Chirurgum agere non dubitauit. Non ignoro quidem, multos officio conficiendorum medicaminum abdicare medicos velle, ita ut et cuncti t) pro sua sententia firmando, diuersa promiscue proferant argumenta; si tamen prius ortum progressumque rei pharmaceuticae considerauerimus, prompte nobis iudicare licebit, an Pharmacopeis iniuriam faciant, noceant, viatum praeripiunt ac peccent Medici, pharmaca inuestigando, parando ac distribuendo, i. e. iure suo connato et perpetuo vtendo? annon Medicis tanquam primis genitoribus ad ministratoribus et magistris artis, haec eiusque exercitium integrum ac indiuulsum relinquendum, permittendumue, omnia ut nunc agant, quae olim egerant, et quae ut commodius agerent, aliis, pro occasionis ratione, aliquamdiu agere concederant, sibi denuo vindicent ac exerceant, per consequens medicamenta quoque parent ac porrigan. Neque id contra leges publicas esse videtur cum illa *Constitutio Friderici II. Imperatoris* solum subditos regni Neapolitani stringat, et circumforaneos iisque similes (*Krahmer, Wafferbrenner, Zuckerbäcker, Barbirer, Bader, Quacksalber, Theriackrähmer, alte Weiber etc.*) solum excludat, ne medicamenta parent ac diuendant u). Non inuideo Pharmacopeis mechanicis suas immunitates et priuilegia, modo haec non contra naturam rei ac sanam rationem, ampliare contendant, i. e. Dominos et Magistros illius artis exercitio, quam famulos ac discipulos docuerant et adhuc docent, priuare. Dedeconi medico et huius officio pharmacorum ad-

G 2

mini-

t) vid. *H. Augenium* Tom. I. lib. 9. epist. I. *Conringium* in *Hermet. Medic. I. 2. c. 8. Lindenbrogium* in Codice LL. antiqu. I. 3. constit.

Neapolit. Tit. 24. c. 3. *Brun. Seidelium de morb. incurabil.* p. 72. 73.

u) vid. *Mandatum, Elektoris Saxoniae.* d. 6. Decemb. 1658. d. 20.

April. et 18. Iulii 1659. et d. 12. Iulii 1677. 1680.



ministrationem esse, qui afferunt turpiter se dant. Habuerunt ne, i
quit Quercetanus, Hippocrates et Galenus distinctos Pharmacopoeos? aut, cum ministeria ista ipsimet obirent, putarunt ne sibi dedecori verti, aut, vt tu discipulus censes, de maiestate sua et reuerentia detrahi x)? avaritia medicorum, hincque metuendum remedium praeatum nimium, de quo communiter Pharmacopoeorum affectus garriunt, risum meretur. Norunt Medici, quid misero et ego proximo debeant. Denique, quando quis vrget, pharmacopoeos esse personas iuratas (licet, an illorum singuli iurarint, dubitare, nemini vitio verti possit), responso est in promptu: sunt tales pariter Medici. Accedit et id, quod Pharmacia, vt omnia breuibus dicam verbis, sit medicinae, pars inseparabilis, quod in promotione Doctorali tota scientia Candidato commendetur, nec alii arti sua parare denegetur instrumenta; quod ipsa medicina incrementa quotidiana ex medicamentorum praeparatione a Medicis facta, capiat, medicinaeque potissimum sit momentum, medicamentorum efficacium apparatus; quodque maiore cura praeparentur medicamina a medico quam a pharmacopoeo, licet hanc inculpationem concoquere nequeant pharmacopoei. Etsi nullum momentum aliud suppetaret pro exercitio pharmaciae in manu Medici seruando et firmando, sane utilitas, quae hinc in publicum ac ciues certo reddit, hoc tanquam suprema lex praefastare posset ac deberet, increscente praesertim quotidie argenti penuria. Neque tenet Medicus famam et conscientiam suam seplasiorum fidei committere y). Sed, veritas odium parit — manum igitur de tabula. Non decet mihi quidem verborum materiaeque copia, at cur plura! Haec tantum monuisse obiter, sufficiat, cum reliqua clare pateant,

§. 15

x) conf. Sennerti Instit. lib. 5. part. 3. f. 2. c. 1.

y) plura vid. in Dan. Ludouici Diff. de priuata remediorum dispensatione. Pharmaciae moderno seculo etc. adiuncta. Quae Ludwigius, de breuitate temporis dicit, nullius sunt ponderis. Inst. Med. forens. §. 69

§. 15.

De utilitate Pharmaciae quaedam.

Cum rationalis naturae ministri sit, nosse artis suae instrumenta, non multa ad demonstrandam necessitatem, et utilitatem, quam in Medicum, ex cognitione Pharmaciae redundat, proferam. Quam amplum Chemiae in Medicinam imperium! Quam arctum est artis Chemicae Pharmaceuticae cum Medicina omnibusque eius partibus connubium! Ea duce, an surrogatum a Pharmacopoeo medicamentum, cum praescripto paris aut inferioris, aut plane noxii sit effectus, dijudicare valet. Lege Principis cum sanctum sit, ut Archiatris, vel primarii ciuitatis medici solemnes et iudiciales, pharmacopoliorum instituant visitationes, necessarium erit, et scire num requisitus omnium materialium medicinalium et medicamentorum adsit adparatus, et medicamina secundum bonitatis notas cuius subiecto proprias explorare. Sic porro in casu sinistri, heteroclitici, vel plane tragicci effectus, et beneficii, a medico requiritur, ut in indicia veneni diligentissime inquirat, et de eius qualitate iudicare sciat ^{z).} Si igitur rerum Chemicoo Pharmaceuticarum, sufficienti notitia destituitur, aut saltim leuem et incertam earum cognitionem possidet, qui fieri potest, vt iudici et officio satisfaciat. Quis nunc est, qui vel dubitare tantum audeat, medico artis pharmaceuticae cognitionem necessariam aequa ac vtilem esse?

§. 16.

Conclusio.

Plura circa quodus huius tractationis momentum addi potuissent, sed hoc Catone contentus benevolus lector esse velit, cum leui tantum penicillo, hanc materiam adumbrandi animus fuerit.

Tantum.

^{z)} vid. Zittmann Med. Forens. Cent. I. Zachiae Quaest. Med. Le galis. Alberti Iurisprudentia Med. Valentini Pandectae medico legales. P. I. S. VI. Carpzonii Crim. quaest. 25. Salmus. Cent. I. Obs. X.

T H E S E S.

I.

Nullum inter neroos sensorios et motorios datur genuinum discrimen.

II.

Hominis voluntas non est libera.

III.

Divinatio non omni ex parte reiicienda est.

IV.

Vera est sententia medicorum: contraria contrariis tolluntur.

V.

In declarandis et illustrandis effectibus imaginationis matris in foetu, non opus est, ut ad neroos ex matre ad foetum progredientes provocemus, cum a turbato sanguinis circuitu pari ratione originem suam ducere possint.

VI.

Diluuium vniuersale fuisse, non est verisimile.

VII.

Magia Daemoniaca ne quidem speciem verisimilitudinis praese fert.

Leipzig, Diss., 1764-2

ULB Halle
007 411 979

3



vdp

TA-OC



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres
Inches

COMMENTATIO PHYSICA
DE
PHARMACOPOLIIS RITE
CONSTITVENDIS
QVAM
AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHICI ORDINIS

D XVII APRIL MDCCCLXXVI

DEFENDET

THEODOR. THOM. WEICHARDT
LEOPOLI - POLONVS

PHILOSOPHIAE MAGISTER, ET MEDICINAE
BACCALAVREVS

ADIVVANTE

IOANNE CHRISTIANO WEISS

ALTDORFENS I

MEDICINAE CVLT. SOCIET. LATIN. ALTDORF.

SODALIS

LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERI.

